



Catalogus dissert.

I. J. Semler.

1. Obf. super 2 Timoth. II. et III.
2. Sectionis II Concilii Trident. exemplum.
3. De Regeneratione monastica.
4. de prophanitate theol. acaemica pro sic dicta biblica.
5. de infelicitate hominum perasendi.
6. de Christi ad Abgarum epistola.
7. de imagine divina in humana ipsi natura.
8. de mysticorum interpretationum studio.
9. Antiquitatum Hermeneuticarum ex Tertull. specul.
10. de tempore quo scripta fuerit epistola Pauli ad Galatas.
11. Baptizatos fuisse, de quibus agit Act. XIII.
12. de propagata per Sponzium inter Germanos ref. christi.
13. de discrimine notionum vulgarium et christianarum in libro N. S. observandis.
14. In Math. I. 17.
15. de cavenda molesta sedulitate sacra.
16. In Luc. I. Gabrielum spir. s. non esse.
17. Jesum Christum esse Paulo auctore verum Deum et verum hominem. disp. II.
18. Illustratio antiquae carminis ex evangelio Hebraeorum.
19. de vario et impari veterum studio in recollenda historia de sensus ad inferos.
20. spiritum s. recte de sensu personarum.
21. de sensu noborov et evangelio Hebraeorum.
22. de discrimine inter sapientes et iniquitates.

II. J. A. Nicolslett.

23. Singularis providentiae divinae in pac. religionis vestigia.
24. de discernentia propria et tropica dicta.
25. de Latini patrum procorum in nou.
26. in 1. Cor. II. 20 et 27.
27. interp. cantionis anglicae Luc. II. 14.
28. de Christo homine regnante.
29. Deum auctoritatem divinam religionis christi confirmare signis maioribus legatione sinaitica.
30. ad Hebr. II. 11.
31. in 2. Cor. III. 17.
32. ad Num. XXIII. 17.
33. in Joh. XII. 20-23.
34. de vera vi nominis filiorum dei.
35. In 2. Thimoth. II. 1-12.
36. In Joh. XII. 1-17.
37. In Joh. XII. 12-17. 23.
38. (quod in No. Kuhn may N. 31. - Tit. 78. Quod est 8y 2 Cor. II. 6.

N. 129.

COMMENTATIO,  
DE  
INFELICITATE HOMINVM  
PRAESENTI,

TESTE CONTRA NATVRALISMVM,  
PRO ILLA RECUPERANDAE SALVTIS VIA,  
QVAM CHRISTI DOCTRINA OSTENDIT,

\*\*\*\*\*

QVAM

PRAESIDE

VIRO SVMME REVERENDO, EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO,  
IOANNE SALOMONE SEMLERO,

S. S. THEOL. DOCTORE ET PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,

SEMINARII REGII THEOL. DIRECTORE,

PATRONO AC PRAECEPTORE

PIA MENTE SEMPER COLENDO,

PVBLICO EXAMINI

DIE MARTII MDCCLIX SISTET

AUCTOR

RVDOLPH. FRID. OTTO HEINZELMANNVS,

HERLINGA-MAGDEBVRGICVS,

S. S. T. H. C.

XII.

HALAE AD SALAM

STANNO HENDELIANO

6)

22

COMMENTATIO

DE

PHILOSOPHIAE HUMANAE

PRÆSENTI

INSTITUTIONE NATURALI

PHILOSOPHIAE

BY THE

PRÆSENTI

BY THE

JOHANNES SALOMON SMILGRO

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE





## C O N S P E C T V S.

Cap. I. De statu spiritus felices & de eo, quod hic status mutari possit.

- 1) Finis spirituum §. 1—6.
- 2) Ex hoc deducitur, quae esse debeat felicitum conditio §. 7—11.
- 3) Ostenditur, fieri posse, ut euadant infelices §. 12—14.
  - a) per se hoc possibile §. 12.
  - b) in nexu cum fine mundi §. 13.
  - c) cum perfectionibus dei mundum electuri §. 14.

Cap. II. Homines sunt infelices.

- 1) obseruationes de conditione hominis §. 15.
- 2) demonstratio ipsa §. 16—26.
  - a) demonstratio principalis §. 16—20, ex defectu debitae vitae incognitione de Deo & moralitate.

b) demonstrationes aliae huic adiunctae §. 21—26.

3) tria additamenta §. 27.

Cap. III. Criteria religionis restitutioni hominum destinatae non adsunt in religione naturali.

- 1) spes restitutionis §. 28.
- 2) de religione naturali §. 29.
- 3) criteria religionis hominibus restituendis destinatae §. 30—32.
- 4) haec non adsunt in religione naturali §. 33.
- 5) nihil impedit, quo minus deus adaptatam statui nostro viam salutis communetret §. 34.

Cap. IV. Criteria cap. III, christianae, religioni propria sunt §. 35—44.

Quamuis breuitatis me esse in hac angustia studiosissimum restis sit omnis, quae sequetur, tractatio: facere tamen plurimas ob causas non possum, quin pauca quaedam praefaminis instar  
A  
prae-

praemittam, inferuentia benigniori & adcuratori de hac opella  
 mea iudicio. Et illud quidem, quod hoc potissimum legerim  
 argumentum; si modo titulo & voluntati vires meae responderent,  
 eo minus fore spero culpandum; quo magis haec ipsa res facit,  
 ad stataminandam summam diuinorum auxiliorum & necessitatem  
 & vtilitatem; quo magis commendat Christi seruatoris nostri do-  
 ctrinam; quo dignius denique homine est, qualis ego sum, qui  
 se studiaque sua praeclarae huic disciplinae addixit, vt non solum  
 ipse istis de rebus certus sit, sed etiam paratam mentem adferat,  
 ad defendenda haec contra omnes, qui iniuste certe dissentiunt.  
 Equidem tantum abest, vt haec me effecisse putem, vt potius &  
 negem fieri ista in hac breuitate satis potuisse; & profitear, scire  
 me in tali specimine non expectari, vt quis egregie doceat, sed  
 reddat rationes collocati temporis, ac testatam faciat tam soler-  
 tiam quam bonam mentem. Ex hoc itaque vellem vt lectores  
 mea diiudicent, atque beneuole excusatum me habeant; si, aut  
 quibusdam in locis non verba aptissima rebus & mentis cogitationi  
 electa forent: Quum inexpectatae rerum mearum rationes festi-  
 nantissime limam adhibere vltimam me coegerint; aut obscurius  
 quaedam dixisse videar nonnullis: Quum haec non mea sola sit  
 culpa, sed multitudinis eorum, quae dicenda erant & quam in  
 ipso opere demum sensisse me fateor. Haec quum tamen omnia  
 paucis plagulis includenda essent: Breuitas me impediuit, quo  
 minus satis omnia diducerem, illustrarem & explicarem in re, in  
 qua multa adhuc non ita sunt exposita, vt desit meditantibus no-  
 ua videndi occasio. Genus scriptiois sequutus sum nec nimis  
 asperum, ne elegantes aures offenderem (vereor ne saepe  
 offensionem effugere non datum fuerit); nec nimis comum &  
 anxium, ne officerem perspicuitati. De reliquis nihil additurus,  
 flagitato benigno lectoris iudicio, ipsam rem ingredior.

CAPVT

CAPVT I.

DE

CONDITIONE SPIRITVS FELICIS ET TRANSITV  
A FELICITATE AD INFELICITATEM.



§. I.

Quum, quae titulus sponder, non nisi praemisiss quibusdam aliis dari possint: exoranda erit lectoris patientia, vt veniam concedat pauca quaedam prius eam in rem dicturo. Mundus, quem videmus, quia non necessarius est absoluta necessitate (per Cosmol.), & nullus esse poterat & alius. Auctor itaque illius, quem deum esse nobis ostendit theol. natur. liberrime perpetuo agentem, vbicunq; locus conceditur libertati, libere ad hunc praee aliis mundis condendum adgressus est. Qui libere agit, eum si sine bono quodam proposito, i. e. sine, agere posse dicas; pugnancia dixeris. Ergo deo finis quidam fuit, quum hoc vniuersum crearet, praefixus.

§. II.

Quodeunque quisquam libere adperit, tamquam sibi bonum ab eo cogiteretur necesse est (per plyph.). Augeri itaque inde putabit, aut bona interna, aut externa, quae oriuntur ex aliorum ad se relationibus. Deus creationem mundi tamquam sibi bonam cogitans perfectiorum internarum, quae crescere in ente realissimo nequeunt, incrementa intendere non potuit. Perfectio itaque relationum fuit bonum, quod creati deo versabatur ante oculos. At bonum agenti visum, quod ipsum ad actionem suscipiendam mouet, est finis. Perfectio itaque relationum finis fuit deo in condendo mundo propositus. Atque quum hic finis, pro iis quae antea dicta sunt, in deo sit vnicus; si vel maxime alii adferri possunt, huic tamen erunt subordinati. Perfectio itaque relationum est Deo finis creationis vltimus.

A 2

§. III.

§. III.

Relationes quum illa sint in re quadam, quae de ea ex nexu solum cum aliis intelligi possunt: Dei relationes erunt, quae de eo ex nexu cum aliis intelligi possunt. At non dantur extra deum nisi finita, quorum series mundum constituit. Omnis itaque dei relatio erit ad mundum, eaque eo perfectior, quo plura, quo maiora, quo melius de ipso ex mundo quodam cognoscuntur. Hanc itaque perfectionem deus finem mundi condendi figens, id voluisse numen putandum est, vt omnis mundi fabrica eo consentiat, vt perfectiones diuinae (nullae enim imperfectiones adsunt in deo ex relatione quadam cognoscendae) darentur ex mundi constructione intelligendae. Cognitionem perfectionum, quae in ente sunt, si gloriam illius entis dicas: gloriam deo finem fuisse creationis vltimum patebit (§. 2.).

Caue, ne gloriam hanc & ambitionem, quasi homines agitantur; multo minus *veredeligen* inter se confundas. Si nihil admittis, nisi quod hac demonstratione efficitur: non video, quid offendere quemquam praeter nomen ambiguum possit. Ne hoc quidem adfirmo, in mundo, qui nostro esset multum inferior atque imperfectior, extra deum in quodam esse oportere cognitionem huius gloriae, dummodo re vera talis relatio inter creatorem & mundum intercedat. Nihil itaque suis declamationibus nos laedunt, qui ab ambitione deo indigna & aliis argumentis contra nos ratiocinantur, aeream potius quam nostram opinionem ferientes. Est ex eorum numero *Tindal* *Christiawty as vlt us the creation Lond. 1731. pag. 12. 32. 33.* *BAYLE; l'Auteur de la Religion essentielle & innumeri hodie alii.*

§. IV.

Si ex mundi structura gloria dei cognosci debet: mundus erit medium cognoscendae gloriae diuinae. Sapiens vero quum apta ad finem media numquam non eligat: dubitari profecto non potest, quin ita huius mundi extruccionem disposuerit sapientissimum numen, vt ex illa tanquam speculo perfectiones diuinae reluceant. Quod quia fieri nequit, nisi rerum creaturarum perfectiones tanquam effectus restentur de causa, atque praestantiorem causam praestantior effectus indicat: perfectionem creaturarum finem dei ingredi, pro vero haberi debet. Tantum itaque abest, vt posito illo fine (§. 3.) perfectionem creaturarum excludere velimus, vt potius posito priori, posterior non sequi nullo modo queat.

Qua



Quae de his tamquam diuersis finibus inter se disputant, eis meliorem lucem affundere non possum, quam ex iis quae, apud nos fiunt quotidie. Etenim quotiescunque ens liberum extra se agit, & rationes ex suis perfectionibus, & ex altero extra se desumptae, actionem ipsius dirigunt.

## §. V.

Bonum erit, quodcumque conueniens est fini ipsi a Deo proposito §. 4. conf. 3. quod non conuenit, malum dicendum erit. Finem vero dei quum cognoscamus ex iis, quae ipsum deum creatorem rei creatae indidisse certo nouimus; talia vero sint necessariae entis determinationes, quae nullo posthac forte accedente alicuius factu mutari poterunt; fini dei conueniet ens, si non necessaria in ipso eisdem vltibus inferuiunt, quibus necessaria (quo essentia & attributa referuntur) inferuire debent. Nouam itaque bonitatis ac prauitatis definitionem accipe.

## §. VI.

Quamuis nihil sit in hoc vniuerso, quod non finibus diuinis suo modo respondeat: atamen quo plura in quouis, quo maiora, quo magis ad finem vltimum consentiunt, eo erit quiduis perfectius. Sunt vero quacuis substantiae, vel liberae, quae per distinctas repraesentationes actiones suas dirigunt, vel libertate non gaudent. Priores non solum tamquam effectus testantur de perfectissimo auctore §. 4. sed etiam ipsae has perfectiones cognoscere possunt, adeoque plures perfectiones habent. Nobilioribus vero eadem instructae sunt, dum ob hoc ipsum propius ad deum, distinctissime sibi omnia repraesentantem, accedunt. Et ob utramque causam etiam magis consentiunt. Erunt itaque substantiae illae caeteris multo perfectiores. Tales vero substantiae sunt spiritus. Spiritus itaque caetera multum excellentia superant. Duplex autem in iis perfectio distingui potest. Altera quidem necessaria (morali opposita) quae ita ex eorum natura proficiscitur, vt illam nullis actionibus ipsi mutare queant; altera moralis quam ipsi libere agendo efficiunt. Quia deus finem suum vbique vult §. 3. & 2: etiam in liberis actionibus; quatenus liberae sunt, spiritus perfectiones diuinas cognoscendas dare debent. At clarius intelligi non poterunt, quam, si ex cognitis perfectionibus diuinis, actiones spiritus determinant. Religionem strictiori sensu, quatenus libere agentibus propria est, obseruat, qui ita facit. Religio itaque est finis dei



specialis in spiritibus. Et quum finis dei & perfectio creaturarum ar-  
tissime cohaereant §. 4: Religio perfectionem spirituum constituet.  
Quum denique intuitus perfectionum suarum det voluptatem (per psy-  
chol.) religio voluptate spiritum beabit ipso dignissima.

#### §. VII.

Spiritus finitus quia non omnes mundi partes eadem claritate  
sibi repraesentare potest; alterius partes plures, alterius vero pauciores  
perceptiones habebit. Cuius partis plurimas habet, id suum corpus  
dici poterit. Hoc aut, quantum animaduertitur, idem manet, aut non.  
Si prius est: Spiritus dici possunt certo cuidam corpori & typo adstricti.  
At, quicumque demum casus adsit, quum finis dei in spiritibus sit reli-  
gio §. 6.; deus vero ipse finibus suis obstacula obicere nequeat; pro-  
fecto a deo non tali corporum nexui immittentur, qui religionem tollat,  
aut nimis impediatur. Frustra enim alias nobilem & excellentem finem  
sibi in spiritu proposuisset, qui abolendus esset, aut impediendus per  
coniunctionem cum corpore.

#### §. VIII.

Quaecumque conueniunt naturae rerum ab ipso numine ita  
constitutae, certissime quoque perfectionibus diuinis respondere putari  
debent §. 5. Spiritus itaque ob cognititas perfectiones diuinas acturus  
atque hac via processurus ad suam felicitatem §. 6. rerum naturis con-  
formare debet, quae agit, atque obsequi tali modo voluntati ac voci  
diuinae. Bonitas actionis deriuata ex eo, quod conueniat naturae ab  
ipso artifice naturae constitutae, est bonitas actionis interna (per phil.  
pract.). Agere itaque ob bonitatem internam spiritus debet, & ita  
agendo agit finibus diuinis conformiter (§§. cit.). Et ad hoc quidem  
ipsum requiritur, 1) vt internam agendorum quorumuis bonitatem co-  
gnoscat, 2) vt viuus sit sensus huius ipsius cognitionis. Sola enim viuua  
cognitio mouere potest ad agendum. 3) Vt ob cognititas quoque per-  
fectiones diuinas huic bonitati internae obtemperet, ergo vt viuue deum  
cognoscat (§. 6.), 4) vt, si adsint alia motiua; quae ipsum ad agendum  
impellant, his tamen praecipuis vtatur causis impulsibus. 5) Vt volun-  
tatem decreturam hoc vel illud, ob viuuum sensum dei ac bonitatis,  
nulla opposita impedire possint. 6) Vt nexus, cui spiritus immixtus est,  
auxilia

auxilia potius subministrat, quam impedimenta perficiendorum eorum,  
quae deum velle & bona esse spiritus cognoscit §. 7.

§. IX.

Quum deus atque interna agendorum bonitas excitare nos debeant ad agendum (§. 8.); nihil vero ad agendum excitet, nisi quod bonum nobis esse intuemur: & deum & hanc ipsam bonitatem tamquam nobis bona intueamur necesse est. Talis vero intuitus quia dat voluptatem, eamque crescentem pro ratione boni cogniti: patet insignem atque ineffabilem voluptatem tribui debere spiritibus felicibus, & voluptatem quidem toties capiendam, quoties bene agendo huius sibi perfectionis sensum efficiunt; voluptatem satis valida munimina praebentem contra omnes peccatorum ac vitiorum oppugnationes ac illecebras. Felicitatem si dicis statum constantis voluptatis: effingi iam hinc invidendae felicitatis imago potest, ad quam gaudio exfulret necesse est, cui vel aliquis boni sensus relictus fuit.

Commentatorem haud sperendum ad hos §§. commendare librum *Tindalium* postquam *Chap. 3. pag. 18. seq.*, qui cum aliis huius notae hominibus in eo deceptus esse videtur, quod e natura dei, hominis & felicitatis summam ratiocinando, nec cogitando, vtrum forte quidquam hominem corruerit, illam beatitatem etiam nunc homini putauerint inesse, quae inesse debebant homini integro. Bene postea vrbis nostris haec ipsa inseruient. Si enim non adiunt in homine, quae *Tindal* ad felicitatem requiri putat: neque iam amplius vere felix erit.

§. X.

Pone spiritum praeter voluptates spiritui proprias sentire etiam voluptates corporis (§. 7.). Iam quum mitum quantum spiritus sit praestantior (§. 6.): Bona ipsius egregie superabunt bona corporis. Quum itaque maioris boni intuitus det maiorem voluptatem: Infinitis paene parafangis voluptas spiritus vincet voluptatem corporis. Fingat itaque homo, qui maxime sensibus suis indulget (hic enim in hac re experiunda erit commodissimus) fingat delicatissimam sensuum voluptatem & cogitatione addat, hac demonstratione conuictus, quanto maior sit (si modo comparatio institui potest in re tantum diuersa) illa spiritus felicitas. Deduco ex his sequentia. 1) Semper inferiores sunt in spiritibus felicitas voluptates ex typo perceptionum, quam ex spiritu illius ipso perceptae.



ceptae. 2) Numquam itaque priores vincere posteriores, aut extorquere quidquam ab iis possunt. 3) Afferant tamen aliquid, vt, quae possidet spiritus felix, beata fiant omnia.

Tum demum pulchram mihi atque inuidendam amissae atque sperandae in superis sedibus felicitatis estigiem pingere videor; si hanc praecipuam illius partem pono, quam necessariam esse demonstrent §§. Dum vero ille Dei ac pulchritudinis moralis intuitus in his terris deest: Inde fit, vt probis nonnumquam minus bene esse videatur; improbis vero melius, qui omnem sibi permittunt vel effulsissimam deliciarum his terris relictarum fruitionem. At si haec iam sentiri nequeunt: Necessario, vt alibi, ita hic quoque sacra scriptura descriptiones adhibere debuit, depromptas ex eiusmodi rebus, quae iucunde a nobis adhuc sentiuntur. De intuitu illo similia fere paucis coniecturatur. *Lok de intell. hum. L. IV. c. 12. §. 14.*

#### §. XI.

Claudent agmen eorum, quae de felicitate narrata sunt, duo noua: 1) Quum domicilium spiritui datum sit partim vt ex illo repraesentet & per illud agat (§. 7.) partim vt etiam nouam quandam sentiat voluptatem (§. 10.); & concludere posse videamur ex sapientia numinis, haec ab illo effici posse sine malo quodam inde in spiritum deriuando (§. 7.): Paret inde, quale esse debeat corpus. 2) Licet forte concedendum esset, non plane impossibilem esse transitum ad infelicitatem e felicitate (vid. §. 12-14.): Tamen in prima spiritus institutione multo maior adesse debet ad felicitatem facilitas ac procliuitas, quam ad infelicitatem. Spiritus quum posito hoc statu suo per cognitos institis sibi viribus fines diuinos agenda dirigant (§. 8-11. 6.): Suae sibi ipsi felicitatis erunt effectores. Pone tamen, placere numini, addere praecipuum quoddam natura spirituum non cognoscendum, in re alias ipsorum libertati permessa; siue indicet Deus rationes; siue sibi soli habeat, sine rationibus enim numen agere non putandum est): Iam nec hoc pugnantia continet, & spiritus ob cognitae perfectiones diuinas i. e. religionem, vt ea praecepta seruent, erunt obstricti.

De ultimo occurrit, dici forte a quopiam posse, actionem per se iam esse siue bonam, siue malam, praeceptis itaque suis Deum nihil permutare in iis, aut addere posse. Non vtar illo refugio, aliqua ex parte non vbiuis fat commodo, ignorare spiritus quaedam posse. Ita potius respondeo: In abstracto tamen (vt loquuntur in scholis) actiones dantur nec bonae nec malae, quae additis demum omnibus annexis & tota indiuiduatione (sit verba verbo vtili) omnes ad bonas aut malas abeunt. Hanc indiuiduationem

vero

vero quum ingrediatur quoque praeceptum diuinum & sapientissimae huius praecepti causae: Patet inde, quomodo diuina mandata addere quidquam nonnumquam, salua illa oppositione, possint. Tribus tantum verbis, antequam haec mitam, adiungo, rudicari ex hisce posse, quid statuumdum sit de decantata ab antiquioribus quibusdam eruditione hominis integri, qui sapientia potius instructus fuit, quamdiu integer fuit, quam eruditione rebus nostris adaptata, licet hoc quoque patet, maiorem ipsi aduuisse facilitatem procedendi in reliquis, si res ferrent, scientiarum generibus.

§. XII.

Fierine possit, ut spiritus ex statu felicitatis transeat ad statum infelicem dum quaeritur: Tria mihi euincenda erunt, *neque* hoc per se pugnantia inuoluere; *neque* si ad finem Dei in mundo creato; *neque* si ad perfectiones illius mundum creaturi respicias. Prius disceptatum erit facillimum. Quum enim quiuus status mutari queat (per def. & Ontol.): Oppositum eius erit per se possibile. Adde illum potissimum liberis spirituum actionibus effici, ac ruere illos contrariis repraesentationibus actos in contraria posse.

Quae verbis generalioribus dixi in §. contrariis repraesentationibus moueri in contraria spiritus posse: Ea propriam quandam lucem sibi postulare videntur, modos scilicet nonnullos indicando, qui talem effectum sistant. Notari itaque vellem, statum spirituum, quamdiu non repetitis saepius rectis actionibus perfectior quidam earum habitus ipsis succieuit, magis esse mutationibus odnoxium, quam alias forte futurus esset. Hoc tamen nollem ita dictum putari, ac si aequaliter vergere in bonum ac malum spiritus reuens creatus possit, a qua sententia me longissime abesse, non dubitabit qui supra scripta legerit (§. 11.). Quum potius in spiritu, cui perfectionum lines, quippe contingenti, necessarius est, etiam obscurae & confusae perceptiones adsint: Patet, incidere posse tempora, ubi haec ipsum impellunt ad agendum. Inde vero peccatorum fontem deriuandum esse, docent, qui de moribus praecipunt. At quam recte facta felicitatem efficiant (§. 8. 9.): Peccata, quae his opponuntur, infelicitatis foecunda generix erunt. Iterum si vterius quaeras, quomodo hoc accidere queat: Tum me tacere male sine adducto facto quodam profiteor. Quid? si intuitus rerum extra spiritum positaram eam vitam nanciscatur, per quam via Dei & obligationis erga Deum cognitio extingueretur? Quid, si per saepius repetitas actiones inuincibilis tandem habitus ad mala prodiret? Quid, si peruersus vnus spiritus seduceret alios? Quid, si schema illud repraesentationum, pro cuius posita spiritus res cognoscit, corruptum non recte vicibus fungeretur suis, aut ipsum ad noxias spiritui perceptiones ausam praerberet? Addat alia, cui volupe est ingenium possibilis comminiscendo fatigare. Illustrationi haec responsa sufficiunt.

B

§. XIII.



## §. XIII.

Durior iam nodus solvendus erit, vtrum in nexu cum fine mundi talis infelicitas cogitari possit. Et finem quidem si spectes; est ille gloria dei & creaturarum perfectionibus cognoscenda (§. 4. 3.) Ad singularem vero spirituum conditionem adtemperatus in eo ponendus est, vt ex cognitis perfectionibus diuinis libere actiones suos determinent (§. 6.). Finge tibi itaque spiritum confusus repraesentationibus abreptum huic normae non obtemperantem; finge porro, non nisi intercedente alia vi, quae libertatem imminuat, impediri hasce eius actiones posse: iam adesse collisionem videbis: quum, nec, quae spiritus molitur, nec coactio respondere fini diuino videatur. Si maius malum ex vltimo proficiscatur: tum profecto prius fieri deberet, fini huius mundi conuenientissime. Pone vero, omnem prorsus libertatem cessare per impediendam actionem debere: non solum ipsa illa, sed etiam sequentes cunctae, tamquam prioris effectus, coactionis fructus esse videbuntur. Interiret itaque praecipuus dei finis per spiritus obtinendus (§. 6.) & ipsi spiritus detructi iudicari deberent ad illam creaturarum classem, quae non libere sed necessario gloriam dei manifestant. Quae quum fieri nequeant: permittetur infelicitas, in qua, quum libertas saltem aliqua maneat, non plane sine suo excidit numen sapientissimum.

Duo mihi notanda videntur. Alterum me in his omnibus non dicere quid factum sit, sed quid fieri possit: alterum vero erit dubium quoddam, quod laborari posset, dum fini diuino non respondere omnia ex asse dixisse videor, quod forte absurdum esse putatur. At non putabitur; si distinguant qui, ita ratiocinantur, inter illum finem, qui in quouis extra nexum spectato per se possibilis erat, & inter illum, quem in nexu deus adsequi potest. Vltimum tantummodo deus intendit. Et si humano more de numine loqui fas est, comparatis infinitis systematibus, exceptionibus consideratis, quae necessariae erant, electa denique haec rerum serie, non plus in fine habuit, quam venere perficitur. Neque itaque sine deus per nostra posita excidere credi debet. Si *Leibnitiana* illa de bono extra nexum, & in nexu cum hisce compares: nihil absconi a me dictum putabis.

## §. XIV.

Vltimo tandem loco quaeritur, vtrum etiam in nexu cum perfectionibus dei mundum electuri concipere talem spirituum corruptionem liceat? Arduam hanc olim & difficillimam disceptationem quum iam

iam faciliorem reddiderit immortalium virorum diligentia; nec quidquam post tantos heroas noui me producturum esse praeuideam: paucissimis tantum dicam. quae ea de re dicenda sunt. Malum, quod non impeditum occasionem maioribus bonis praebet, in omni nexu spectatum, pro bono haberi debere, non negabunt, qui rerum norunt aestimare pondera. Cogita itaque mundum immunem a quodam malo, quod te offendit; cogita alium, qui hoc laborat; at, malo detracto cum aequali isti malo summa boni, plura tamen bona contineret, quam tuus ille bonus: posterior erit praefereendus.

Quorum ego neruum paucis, ea pluribus dederunt *Leibnizius in Theodicaea*, *Bussingerus de origine mali* & cuncti recentiores metaphysici. Duo tantum adiungo, 1) ne cui dubium videatur, quid sit, quod mala nobis occasio sint maiorum bonorum, quam tamen ex malis non nisi mala oriri possint: ne hoc quidem volumus, ex malis tamquam talibus bona nasci posse. At quum nullum ens omni sit perfectione orbatum (per Ortol.); adeo ipsis malis bona intertexta sunt, ut mala inseparabilia a bonis, occasionem praebere bonis sine errore dici possint. Quae dicta sunt §. 13. de liberis spirituum actionibus, huic illustrando inseruiunt. 2) Vniuersaliorem Sphi propositionem ut clariorem reddam iuncto exemplo; fingere liceat systema, quod infelicitas spirituum ingreditur, at talis infelicitas, quae adhibitis auxiliis gloriosissimis compensatur cum longe maiori spirituum perfectione: tum profecto tale systema eligeretur, perfectionibus diuinis conuenientissime.

## CAPVT II.

### RE VERA NVNC INFELICES ESSE HOMINES.

#### §. XV.

**P**raeferenda omni huic disceptationi videtur aliqua illius conditionis consideratio, quam hominibus ad vnum omnibus communem esse, terra ostendit. Et 1) quidem non solum corporis atque animi definitio; si verae sunt, euincunt, nullam esse in animo veram cognitionem, cuius origo non reperenda foret a re quadam sensibus subiecta; sed cuncta etiam pro hoc pugnat experientia, quae, tum nullam cognitionem ostentare potest; non ex hoc fonte deriuandam. tum sensuum beneficio orbatos monstrat stupidissimos esse. Utens his sensuum materiis anima per vim sibi insitam ascendere a singularibus potest ad communia & generaliora. 2) Cuius mutationi in anima mutatio in neruis sociata ad-

B 2

est

est. Simul atque nervorum opera cessant, homo dormit, nullius sibi rei conscius; Somniat, si levis quaedam eorum operatio incipit; euigilat denique; si, claustris referatis, illi iterum rite munibus suis funguntur. Adde huc crescentem quasi cum corpore animum, hebescentem vero illum; si fenescit homo. Morbi corporis non solum turbant animum, sed saepius plane statione sua abiiciunt; dampnum cerebri deliria excitat; mentis labores diutius protracti capitis dolores excitant; meditatio morbos auget, & quae sunt similia. 3) Quidam motus nervis gratus, alius iniucundus est (per exper.). Desudant philosophi naturam scrutantes in inveniendis regulis & proportionibus eorum, quae iucunde seu iniucunde sentiuntur. 4) Quo maior motus in nervis; eo magis viva adest cognitio in anima. Etenim quum animus & nervi iuncto labore operentur (n. 2.): ex vnius praesentia concludendo efficimus praesentiam alterius. Adde (n. 3.) & omnem illam eorum experientiam, qui adcurate observant.

Ad (n. 1.) *conf. Lok. 'de intell. hum. l. 1. c. 2. 3. 4.* Contra illud nemo, credo, monebit & obiiciet insitam de deo cognitionem, nisi qui ignorant, quo modo illam rectius *Musaeus, Euddeus* & alii magni viri explicent. Certe qui oppositam sententiam tueri vellet, nescio quid responderet iis, quae proposita sunt a *Lockio*, aut *Phil. Skelton Desjpn. Reveald Dial. 2.* Nec, quos ita vocare solent connatos instinctus, sunt re vera cognitio quaedam nata cum animo, sed talis animi ac corporis dispositio, quae ad hoc potius appetendi facultatem vergere iubet, quam ad illud. Plurimum vero in iis postea efficiunt obsecurae perceptiones, quae partim cum claris magno numero simul animum introeunt, partim oriuntur ex sensum obsecuratis clarioribus. Si plures eiusdem generis repraesentationes obsecurae subsistant in fundo animae: Instinctus, habitus, consuetudines obsecurae inde cum aliis mirandis phaenomenis prodeunt.

#### §. XVI.

Per signa percepta symbolice; sine signis autem intuitivae res cognoscuntur. Cognitio si moueat ad agendum; viva iam erit sensu latiori; sensu vero strictiori ea demum cognitio vitam habebit, quae tot continet causas impulsivas, quor ad actionem producendam sufficient. Quae non viva est, illam mortuae nomine insignant philosophi. Porro quia libere nulli agunt, nisi quid appetunt; nec appetunt, nisi quod bonum sibi esse intuitivae cognoscunt (per psych.): Ad quamvis cognitionem viam requiritur, vt, siue perfectionem rei cuiusdam, siue imperfectionem percipiamus intuitivae. Quidquid vero non tali modo per-



percipitur, quidquid nobis exhibetur tantum per symbola, eius cognitio vivere nullo modo potest. Iam tria ista celebria cuiusvis cognitiones nostrae vehicula sunt, ipse rei sensus, ratiocinatio & fides data testimoniis. At ubicunque sola ratiocinatio adest: Cogitatio tantum noua ex aliis elicitur, non vero per hunc ratiocinantis animi laborem effici posse quisquam putabit, ut res ipsa listatur animo; nisi iam antea res praesens fuerit, aut talis sit, ut praeter ratiocinationem sensu quoque & experientia cognoscatur. Eadem fere est ratio fidei datae testimoniis. Ergo ratiocinatio & fides nullum dant *solae* intuitum. Ergo neque *solae* vitam cognitionis efficiunt. Tantum itaque ea viuunt, quorum perfectiores & imperfectiones sensu percipiuntur.

*Obs. 1.* Non sine additamento quodam mittere hanc §. potero. Quid vero? inquit. Nonne narrans iucunda nos quoque voluptate perfundit testimonio ipsius fidentes? Nonne mortui doctores, rigide virtutum praecepta demonstrantes, aliquos saltem inueniunt, qui moueantur? Verum hoc, nec tamen opus est, ut vitium inesse demonstrationi concedam. Etenim nisi aut totum narratum, aut partes eius, aut saltem aliquid, quod putatur esse simile, iam antea sensum sit, & nunc imaginando reproductum; nisi virtutem tractans sensa, & sentienda adhibeat in auxilium, & effecta quasi ex olim iucunde perceptis pulchra virtutis imago menti se commendat: Frustra narrabit prior, posterior demonstrabit. Prudens heic non obiciet, incallum itaque laborari ratiocinationibus. Sentiet mecum quisvis adcuratus nec proletarius animorum obseruatur. Ob demonstrata §. sensus & intuitus nomina pari mihi fere passu ambulabunt in sequentibus, atque indicabunt rei ipsius perceptionem.

*Obs. 2.* Duo itaque potissimum requiruntur ad cognitionem viuam 1) ut intuear rem quandam, 2) ut illam tanquam mihi bonam aut malam cogitem.

### §. XVII.

Brevi quidem sed satis valida argumentatione sic iam rem meam concludere posse videor. Si nunc hominibus is viuus atque iucundus sensus Dei atque virtutis esset, qui necessarius erat spiritibus felicibus (§. 8. 9. 10.), ea, quae Deus ac virtus praecipunt, negligere quisquam in tanto horum superpono nullo modo posset. At quum nemo sit, cui non longe aliam rerum faciem experientia commoueat; quum omnes leges, res, ulicae, poenae ac molesta, quibus virtus externa extorquetur, testimonium exhibeant, virtutem iam non amari propter se ipsam: Aliquid saltem deest illi felicitati, quae nobis tanquam spiritibus propria esse debebat. Ut vero profundius & adcuratus

tius quoniam sit huius rei ratio intelligamus: alia addo in sequentibus  
 §§. magis rem praesentem declarantia. Quicumque agit, ille habet  
 causas impulsivas agendi (§. 16.). Haec autem derivantur a perfectioni-  
 bus divinis & bonitate ac prauitate morali, aut ab aliis quibusdam an-  
 nexis actioni atque coniunctis, quae scelerem animum in hanc vel  
 illam partem possunt. Prius si nos excitare ac stimulare debet ad  
 agendum: Viua adesse debet Dei ac bonitatis prauitatisque moralis  
 cognitio (§. cit.). Illam itaque ut intuiue cognoscamus, necesse est.  
 Pone vero, solis ratiocinationibus, aut sola fide data docentium testi-  
 moniis, illa cognosci iam impelli inde ad peragendum quidpiam, nul-  
 lo modo poterimus (§. cit.). Et in hoc quidem disceptando mente a  
 partium studius aliena versabimur. Equidem quiuis optimus esse posset  
 huius litigii arbiter, si modo omnes essent, in se ipsis attendendis, aut  
 satis dextri, aut satis sinceri. Haec vero quum desint in multis: iudi-  
 candum erit hac de re ex communibus illorum omnium criteriis, quae  
 sentiuntur aut cognoscuntur intuitiue. Et quidem, quum, simul atque  
 res sentienda animo rite constituto exhibeatur, statim mens illam perci-  
 piat: 1) Non egent homines in rebus sentiendis magistrorum instru-  
 ctionibus. Adest potius confessim cognitio; simul atque rite paratis  
 partibus sentientibus res exhibetur sentienda. Et quum porro sensibus se  
 suis non decipi quiuis putet: 2) nullus datur in nobis de re; quatenus  
 sentimus, dubitationis locus. Et si quis contra ea, quae sensus nobis  
 exhibent, disputare adgrederetur, non actionibus sed cachinnis illum  
 essemus excepturi. Vbiicumque itaque aut ipsi dubitare, aut ferre  
 possumus sine risu & admiratione nostram negantes opinionem; ibi  
 sensum rei non adesse iustam coniecturam facimus. 3) Quia omnes  
 homines similia fere habent organa animumque similem sentientem:  
 res maxima ex parte sentiri ab omnibus eodem modo putari debeat.  
 Saluus nihilo minus manet ille canon de gustibus, qui in ista minori di-  
 uersitate, quam ego admitto, satis verus esse potest, & praeterea potissi-  
 mum ad iudicium de bonitate rei, diuersis diuersae visa, refertur. Si  
 itaque quod alter negat, alter affirmat & uterque sana & organa & ani-  
 mum habet; sensus rei dari in iis vix poterit. 4) Pone, te duplici via &  
 sensus & ratiocinationis esse quadam de re certum; si vel maxime con-  
 uictionem ratiocinando adquisitam tollas, de re tamen certus manebis.  
 Sensus itaque non adest; si, sublato hoc, omnis statim conuictio cadit.  
 5) Sensus quoniam rem ipsam sistunt; si rem quampiam tantum ex  
 alia

alia quadam propositione elicit & ob illam tantum admittere potes, certe non sentitur. 6) Ob eandem causam; quia sensus rem ipsam exhibent; si caetera similia sint, par erit, quantum animaduertitur, de rerum sensu perceptarum veritate conuictio. Si itaque diuersam animi conuictionem inuenias in propositionibus quibusdam, & quidem attente scrutando intelligas, crescere hanc diuersitatem conuictionis, quo magis abes a prima quadam indubitata veritate: iusta est suspicio, nullam harum omnium a te sentiri. 7) Quod bonum tibi esse cognoscis; si simul sentis, viua erit cognitio, si non strictiori, saltim latiori sensu (§. 16). 8) Diuersa sunt genera euidetiae oriunda ex sensu & ex ratiocinatione, quae experiri potius quam dicere possumus. Haec sufficient.

Exemplis has regulas illustrare non licet per angustiam plagularum. Hoc tamen nollem quicquam putare, male me agere, qui regulas in externis sensationibus obuias ad omnem sensum requirem. Attentus lector facile vider, me argumentari solum ex illa propositione, quae omni sensui communis esse debet: *Sensus rem ipsam exhibent, nulla, quantum animaduertitur, intercedente alia propositione.* Regulas has nemo, ne ipse quidem Pyrrho, negabit; si recte illius systema disponitur.

#### §. XVIII.

Agedum lapide hoc lydio tot regularum adhibito, videamus, vtrum sit cognitio nostra de Deo ac bonitate morali intuitiua & cognitio sensus, vel minus. Et 1) primum quidem criterium de non necessaria in sentiendis instructione quod attinet, ita argumentari posse videor. Si parvuli nutricum hisce de rebus doctrinas tenent, pueri & iuvenes scholarum, quibus magistrorum subrum, pauci, qui sunt erectioris indolis, ratiocinando nonnumquam sententiam magistri paullulam immutant; si errat plebs, vbi accurate iudicat ingenium limatum scholis atque politum; si caeteri eatenus tantum ea in re sapient quatenus docti sunt; si diuersorum magistrorum & terrarum homines diuersa sentiunt; si surdi, muti ac in suis adultis nihil harum rerum scire comperti sunt: omnino egere instructione putari debemus. Subsumtionem harum majorum propositionum dat omnis experientia. Concludere itaque licet, quae prono alioquin inde sequuntur. 2) Secundum erat, neminem de sensu suo dubitare posse. At si seriem dare possumus academicorum & scepticorum; si disputatum fuit, vtrum moralitas debeat legibus rerum publicarum aut naturae; si pauci sunt, quibus non dubia de hisce



hisce rebus nonnumquam suboriantur; si placido animo audire possumus aut serio aut ingenii causa talibus de rebus disputantes; si saepius disputatorum strophis eo adducimur, ut sciamus in sententia incerti: Hac quoque in re vicero. 3) De tertio pauciora dabo. Etenim quum & veritates de ente quodam perfectissimo, & de eo quod rectum bonumque est admodum propinqua sunt primis & indubitatis propositionibus, & praecipue non plane interire talia possunt; si per communes mortalium parentes semel se posterorum cognitioni insinuarunt: rariora sunt huius rei exempla. Attamen & athei, quos nonnullos numerare possumus, & ea, quae de virtutibus pugnancia diuersae gentes & philosophi tradiderunt, testimonium mihi hac in re exhibent. 4) Quartum erat, amissa ratiocinationis conuictione, interire tamen sensorum conuictionem non posse. At faciat quisquam periculum & tollere se fingat, quascunque rationes, siue reuelatae, siue naturales doctrinae, pro Deo & virtute exhibent, vtrum alterutrum iam amplius admissurus sit, aut admittere quoque possit, salva dignitate hominis & philosophi. Eadem ratio erit criterii quinti. Tolle propositiones, fulcrorum sustentantes vicem, tollat, qui auctoritatibus fisis, haec adhuc vera esse purauit, ipsam hanc magistrorum aut nutritorum auctoritatem: neque hisce sua conuictio constabit. De 6) quibus fatebitur, qui attentum vniquam ad haec animum attulit, in omnibus de Deo ac vita regunda praeceptis; quo longius omnia distant a principiis primis, eo maiores subnasci dissensiones, lites ac dubitationes, ita ut aequalem de omnibus adesse persuasionem, dicere non possit, nisi eum loqui placeret contra solem. 7) Septimum criterium id sibi vult: si quis bonum sibi aliquid esse cognoscit, nec tamen viua est illius boni cognitio, bonum ab hoc non fuisse sensum. At nonne omnes fere homines virtutem felicitatis viam esse praedicant, nonne permulti rigidissime demonstrant hanc ex obseruatis officiis beatitatem? Quum viua saepissime non sit haec eorum cognitio: intuitus non adfuerit, necesse est. Et quid est; si excellentia haec bona intuemur, quod virtutis viam duram & asperam faciantur, quum tamen de summa eius felicitate clamitent, & ex intuitu tanti boni, si vere adesset, ingens voluptas, deberet, propullulare? 8) Octauum criterium permitto cuius, qui ea accurate obseruat, quae in ipsius animo aguntur. Mihi sane, qui distinguere mecum probe didici inter euidentiam sensu ac ratiocinando conclusi, prior euidentia plane non adest in iis rebus, de quibus disputatur, licet aliis argumentis sim de illis conuictissimus.

*Obf. 1.*

*Obs. 1.* Ut videat lector, quam aperte agam, non diffitebor, videri forte cuidam posse, his omnibus nondum id effectum esse, ne aliquem quidem superesse morales deformitatis aut pulchritudinis sensum, quum in reiciendis crassissimis quibusdam sceleribus omnis omnium vniuersitas consentiat. Sed 1) tribui potest ille consensus propinquissimae connexioni talium propositio- num, quae crassiora haec vetant, cum principiis cognitionis humanae indu- bitatis, tribuendum porro horrori naturali, & in primis ingenti damno, quod inde redundat in societatem & quoduis eius membrum, vt alia taceam. 2) Quae quum ita sint: verisimile saltem est (quia animum nunc non habemus reliquorum intuitui satis aptum) ne in his quidem sentiri sensum quem- dam internae bonitatis aut prauitatis. Surdum narrant maclasse hominem, quum suam maclari vidisset. Ergo ipse homicidii deformitatem non sensit. 3) Si sat magnus esset intuitus: numquam haec horrenda scelera perpetra- rentur a sceleratis hominibus. 4) Si vel maxime concederem, superesse ali- quem internae bonitatis sensum, quod tamen longe aliter videtur; nihilo minus infelicitatem praesentem possem ex dictis euincere.

*Obs. 2.* Videant itaque, quo iure agant, qui tantopere nobis tamquam agendi normam laudant sensum illum morales pulchritudinis & deformitatis, ducem nobis dantes, quem nullibi fidum apud quemquam inuenias. Ita *Schafersbury Characterist. Vol. 2. p. 414.* *Is there then a natural Beauty of figures, and is there not as natural of actions? No sooner the eye opens upon figures, the ear to sounds, than straight the beautiful re- sults, and grace and harmony are known and acknowledg'd; no sooner are actions view'd, no sooner the human affections and passions discern'd (and they are most of them as soon discern'd as felt) than straight an inward eye distinguishes, and sees the fair and shapely, the amiable and admirable apart from the deform'd, the foul, the odious, or the de- spicable.* Nescio quid discendum sit ad haec Illustris auctoris verba. Nolo iniurius esse eius tamae aut dicere, satis rustice, illum data opera mentiri. Scripta eius, quantum noui, testantur hominem admodum sensibus suis in- haerentem & indulgentem. Hac igitur consuetudine eo adductus est, vt ta- lem sibi effingeret virtutis imaginem existam ad similitudinem eorum, quae sunt sensibus conuenientia. Veram certe illam virtutis pulchritudinem non fuisse ab eo sensam spondere possum. Eadem fere habet *Lion Infallibility of human indgment p. 85.* *The notions of Justice and Injustice, Wis- dom and Folly are after the same manner imprinted on the mind, as the notions of colours.* Adde p. 3. Et ne *Tindalium* omittam, is ita ait: *Christ, as alid as the creat. Chap. 13. p. 255.* *The mind, with the same ease sees the agreeableness or disagreeableness of moral and immoral actions, as the eye discovers agreeableness or disagreeableness in outward objects.* Nobilissimi praeterea sunt hac in re *Hutchinsoniani* & aliorum labores.

## §. XIX.

Homo, praesenti statui suo relictus, non habet intuitivam cognitionem Dei ac bonitatis agendorum internae (§. 18.). E neque ob haec agere dici potest (§. 16.). Quum tamen agere nequeat sine causis impulsivis; agit ob ea, quae actioni praeter haec coniuncta sunt (§. 17.) & sentiri possunt (§. 16.). Quo itaque pluribus, maioribus atque fortioribus eiusmodi motivis actio quaedam sulca est & circumscripta: quo magis hisce illecebris quempiam allicit: eo facilius perpetrabitur. Referenda erunt in hunc censum apud multos eosque cretiores vera spes felicitatis, at efficta eius imagine ex talibus quibusdam; quae iucunde sentiuntur; apud alios tradita ab antiquis gentis conditoribus honestatis opinio, captanda vitae integrae fama atque benevolentia apud alios, qui quidem viue moralitatem non agnoscunt (§. 18.) at praecleara tamen ista esse sibi persuadent; merus poenarum & humanarum & divinarum, spes praemiorum, voluptas inde haurienda, quod virtutem eo euehere possis, vbi pauci ascendunt, salus propria in salute publica contenta, alia denique multa tories non negligenda, quoties per opposita fortiora non superantur.

Tria adiungere liceat 1) miranda est supremi numinis sapientia, quod; extincta licet illa luce, quae errorem ac peccatum impedire poterat, tam prudenter tamen coordinauerit, iunxerit atque disposerit mortalium rationes, vt aliqua saltem virtus seruetur & mala impediatur ingentia, quae confusura fuissent mundum infelicitissimum. Honestius & cum maiori specie virtutis peccata debent pietatis ac virtutis magistri &c. 2) Exemplis ad mea oppugnanda parum efficitur, quia adeo abstrusi sunt animorum recessus, vt saepius patet, ob virtutem te solam egisse, vbi longe diuerfa calcar tibi addiderunt & stimulum; 3) non nego itaque, vllam vitam adesse praesenti mortalium de deo & virtute scientiae, sed illam, qualem supra felicitum spirituum esse debere probatum est (§. 8. 9.). Oritur enim vita cognitionis praesens non ex puris fontibus.

## §. XX.

Felicitas spirituum necessario sibi poscit, vt Deum & internam agendorum bonitatem & prauitatem ea vita cognoscant, quae viribus ad agendum sufficientibus exornare illos & instruere possit (§. 9. 8.) vt, sicuti nobis nunc de rebus, quae sensibus obuia sunt, ita illis de istis quoque, quae ad deum & virtutis prouinciam pertinent; iudicium intuitivum ferre liceat ex interiori perfectionis sensu deriuandum. At haec miseria quaedam nobis eripuit (§. 16-19.). E sumus infelices (§. 9.

(§. 9. 8.). Si cupis, vt de tristi malo pauca repetam; haec erunt: Delectata est illa ex animo excellens facultas. per quam in obuiis quibusuis, quid rectum sit, quidue praeclarum non noramus solum, sed etiam vt ue intuebamur. Non iam verus dei sensus agenda nostra dirigit (§. 18.). Pender nostra virtus, si nobis relinquimur; ab opportunitate eorum, quae actioni annexa sunt (§. 19. 17.). Iam itaque non sufficit verae virtutis via, per quam ad felicitatem grassari nos volunt, qui sibi videntur, quam sunt, feliciores (§. 11.).

Si vitium splendidum illud est, quod habet virtutis speciem; licet e vero fonte non manans vera virtus dici non possit: Et *Augustinus* & nostrates, qui eum sequuntur, iure suo quaecunque opera hominis statui suo relictis, vitia splendida adpellant.

#### §. XXI.

Animus nisi adesset in homine; nulla bona trunco instar intuiturus, aut percipiturus esset nec voluptatem, nec taedium. Attamen quum illa bona aut ex eo deriuentur, quod spiritus sumus, aut ex corpore, aut ex statu externo: Trifariam partiendae videntur perfectiones nostrae in perfectiones spiritus, corporis atque status externi. Quaecunque causas impulliuas ex eo, quod spiritus sumus, potuiffemus deducere, eas si non omnes, saltem plerasque & optimas extinctas iam esse videmus (§. 20. 18. conf. §. 6. 8.). Spiritum itaque in nobis magna saltem ex parte vero & proprio sensu mortuum esse, qui ante dicta concedit, nemo distitebitur. Agimus itaque potissimum ob praesens maiorem aut corporis, aut status externi felicitatem. Haec omnia vt profundius intelligantur: quum fusiori esse non liceat, indicasse tamen sequentia & tradidisse lectorum iudicio operae pretium erit. 1) Videmus hominem prodeuntem in huius mundi theatra, primis vitae suae annis, ita proprium esse perceptionibus iis, quae per sensus externos animum ingrediuntur, vt nulla, quantum obseruatur, rationis opera intercedat. Cogitent lectores, quot ante vllum facultatum superiorum vsum, quot, inquam, per perceptiones illas in fundo animae subsidentes (§. 15. not.) imprimantur stimuli, instinctus, habitus, consuetudines, eo magis per omnem vitam regnantes, quo tenaciora esse debent, quibus imbutur recens homo nec vlla alia expertus. 2) Quum sit labors nulli mortalium concessus, vt vel centesimam partem eorum, quae indistincte cognoscit, distinctionis luce collustrat, distincta vero necessa-



rio etiam confusa fuerint: Infinite maior adest repraesentationum indistinctarum quam distinctarum numerus. Et quum obscurae plures sint quam clare (§. 15. not.); hae numero reliquas vincunt omnes. 3) Quo magis distinguimus, eo pauciores accipimus notas, eo plerumque propius accedit cognitio ad symbolicam. Verumque vitae cognitionis officit (per psych.). Adde repraesentationes confusissimas, quales videmus in fortioribus animi perturbationibus, insigniori & vehementiori neruorum motui sociatas esse, qui motus testis est de singulari obscurae cognitionis vita in anima (§. 15. n. 3.). 4) Deest inuitus verae perfectionis, qui spiritui conueniebat (§. 18. 8.) & obicem forte obiiceret his indistinctis turbis. 5) Si persequamur omnes illos nexus, quibus homo a pueris inest: Videbimus, quid & quantum quibus eorum ad haec mala augenda afferat. Quae quum ira se habeant, sintque obscurae & confusae repraesentationes fons peccatorum, quae felicitati aduersantur: Patet inde, quantum periculis perpetuo sumus circumcincti, nullo modo conciliandis cum ipsa felicitate (§. 11.).

§. XXII.

Liceat pauca adiungere de illo corpore, quo spiritus noster circumdatus est. Qua de re quamuis multa philosophari nec possim, nec cupiam: Duo tamen vel tria adnotanda videntur. 1) Quaecumque iniucunda, aduersa, aut tristia corpori nostro accidunt, animum participem faciunt incommodorum. At ita iam illud comparatum est, ut non solum multis obuium sit multorum extra se positorum iniuriis, sed principia quoque alar corruptionis sensim sensimque inuendendae. 2) Nimiam sibi polcit eius conseruatio culturam, cautionem ac diligentiam. 3) Ex diuersa illius constitutione varia animi vitia gignuntur & aluntur. Si causa, ob quam additum fuit spiritui corpus, sine hisce malis effici potest, quod vix dubitationem patitur: Neque corpori nostro sua integritas constat (§. 11.).

Commentationem de hac §. partim medicis, partim suae cuiusvis experientiae permitto. Conf. tamen *I. L. Moshenius in Eclie. sacr. ser. P. I. cap. 1. §.* qui de vitio in primis egregia habet & adfert, quae digna sunt cuiusvis attentione. Diffiteri non possum aguisse me: multas frustra agitationem difficultioris huius veritatis demonstrationes, deducendam aliquam illius probationem vniuersalissimam ex eo capite, quod cuncti homines hoc corpore adeo felicitati spiritus incommodo indutos se sentiunt. Et ne sine omni ratione in hac cogitatione fuisse videar; in qui etiam nunc sum, licet vires necae probationi exactae nondum sufficiant: Paucis adiungam opinandi rationes.



nes. 1) Sapientissime ita hominem Deus extruxit, ut iis, quae in animo aguntur, fociae mutationes adsint in nervis (§. 15, n. 2.). Vehementior motus neruorum testis de insigni cognitionis vita in anima (§. citat. n. 3. §. 21. n. 3.). 2) Si itaque nervi non sunt apti, ad respondendum motu suo cuidam mutationi in anima: Ipsa illa mutatio sequi nequit. Quo vero nervi paratiores sunt; eo felicius sequetur mutatio in animo. 3) Quia in hoc statu nostro vitae cognitioni producendae de Deo & moralitate vires nostrae non sufficiunt (§. 20.) adest vero repraesentatio aliorum nimis fortis ac vehemens (§. 21.); Haec quoque tam *adversus* quaedam neruorum in priori, quam in posteriori nimia eorum turbulencia accedere debet (n. 1.). 4) Fluidum nerueum fecerunt subtilissimis tubulis a sanguine, opinio est medicorum. 5) Verisimile est, tale iam esse hoc fluidum, ut recipiendis convenientibus eorum motibus non sufficiat, quae animus sentire nequit (§. 18.) nimis vero proclive ad talia, quibus nunc homines abripiuntur (n. 3.). 6) Quum omnes homines habent corpus & sanguinem similem, quoad praecipuas affectiones: simile fluidum fecerunt. E simili causa similes expectamus effectus. Ergo similis foret omnium hominum corruptio. Video ipse, quid his desit, nec scio, an unquam quisquam defectum suppleturus sit. Fugit oculos nostros hoc fluidum; multo minus motum eius animo socium cognitum habemus. Quasi vero ille esse debeat in homine felici, vix cogitando adsequi possumus. Nullis itaque istis, certioribus vror in re mea demonstranda argumentis.

### § XXIII.

Ex his malis necessariis haecenus enumeratis, velut fonte venenatissimo, profluere solent apud plurimos homines, quid? apud inregras nonnumquam gentes mala acerbissima. Et 1) quidem quum ratiocinando tantum, aut fide aliis habita, res ad virtutem spectantes cognoscantur (§. 20.) atque eo facillior sit aberratio ratiocinando concludendorum, quo longius absunt a principiis primis & indubitatis: inde illa ignorantia ac error de rebus in vita agenda recte atque praeclare tenendis. Ea quidem est felicitas generis humani, quod haec veritates non admodum distent a principiis per quemvis concessis, aut nimis recondita non sint ab humana intelligentia. Quantaec tamen nihilominus renebrae ea de re, & olim, & nunc gentes & homines inuaserint; tristis loquitur cuncta historia. 2) Voluntas hominum quum ea sibi legat, quae maxime perficere videntur aut corpus, aut statum externum (§. 21.), prouti suam quivis, qua hoc virumque, fortem nactus est in mundo, vel hanc vel illam praecipuam agendi causam habebit. Et quum actio saepius reperita det habitum: pater inde, quomodo, nisi obex ponatur, ad tanta scelerum fastigia homo adscendat, ad quae horret homo vel aliquo boni sensu imbutus. 3) Mittere nequeo, quum

quibus hoc malo corruptus sit, patere inde, quam vere dictum sit, hominem esse homini maxime noxium. Non plura narro, ne nimis inuidiose videar genus humanum traducere. E paucis iudicet, cui non praedicatae opinioniones, aut nimium sui ipsius aestimium iudicandi praestrinxit facultatem, quam infecta esse debeat scaturigo, e qua tam amarae aquae bibuntur. Vnum addo: si homo sibi permissus, nec ulli traditus coequentium disciplinae, aut curae educantium, ruit quotidie in peiora, ac euadit in dies imperfectior, in primis, quod ad nobilissimam partem humanae naturae attinet: certe maior prociuitas in ipsius natura ad infelicitatem adest, quam ad felicitatem. Quae vero omnia quum testata exhibeat experientia: deest, quod adesse debebat felicibus (§. 11. n. 2.).

## §. XXIV.

Sufficere haec forte possent. Quum tamen in re adeo graui & quae caput omnis disputationis meae efficit, non dicere satis posse videar: iungam his nonnulla, quae partim explicabunt, partim corroborabunt ea, quae haecenus disceptata sunt. Homo, qui non potest agere ob deum & internam rei bonitatem (§. 18.), non agit ob illum finem, ob quem a deo sunt spiritus conditi (§. 8. 6.). Ergo homines, posito hoc statu suo, praecipuo spirituum fini non satisfaciunt. Porro quia praecipua hominis perfectio illa est, quae animum beat (§. 6. & 10.) illa vero efficitur, agendo, ut iuber interna rerum bonitas (§. 8.), quod homines iam facere non possunt (§. 20.): praecipua ipsis perfectio deesse deprehenditur. Denique constantem voluptatem signum beatitudinis omnes agnoscimus (§. 9.). At quum cuncta fere nostra praesens voluptas ex intuitu proficiscatur bonorum corporis & status externi (§. 21.), quae omnia mors cuius rapiet, abeuntibus cum mutato perceptionum typo omnibus pristini typi iucunditatibus: neque vlla constantis voluptas ex hoc statu nostro expectanda est. At hoc necessarium erat in statu felici (§. 9.). Triplici itaque modo denuo patet, admodum falli, qui veram felicitatem superesse persuadere nobis volunt.

Patet inde, quid sit, quod, quum mediis mali voraginibus immersum sit hominum genus, infelices se esse non sentiant. Quamdiu enim hoc nexu cum suo ac aliis corporibus fruuntur; si ea habent quae corpori aut statui externo commientia gratum animi sensum efficiunt, securi de voluptate spiritui propria, his solum deliciis beatitatem absolutam arbitrantur.

## §. XXV.

## §. XXV.

Esse quoddam, quod sensuum desideris explendis satis est & ultra quod progredi, nisi naturam suam corrumpere velint, non licet: Id quidem dubitari nequit. Hanc animalium sensitivorum naturam quum creator esse voluerit: Ita quoque instituerit eorum naturam necesse est, ut effici hoc per illam possit. At non fieri potest; nisi instinctus ac stimuli eorum plura non desiderent, quam sufficit. Tales itaque stimulos ipsis inditos esse a sapientissimo rerum auctore & haec ratiocinatio edocet, & experientia singulorum animalium demonstrat. Pone vero vim quandam non solum sensitivae, sed etiam distincte repraesentantem, eo tamen fero, ut sensitiva imperii habenas dirigant, moralitatis vero vicia cognitio extincta sit: iam in vi simplici omnis etiam distincta repraesentatio eum in finem adhibetur, ut iis satisfiat, quae sola nos movent ad agendum. Ad haec ultra id, quod satis est, excurrunt naturamque corrumpunt. Miser itaque talis status erit, in homine omnino inveniendus (§. 18. 20. 21.).

Equidem nemo fere est adeo perfidiae frontis atque scelerum thesauri defensor, qui non, haec & alia si ipsi ostendantur, oppugnationem suadeat peruersum animi cupiditatum, atque sperandam inde victoriam. At quae so, bone vir, ubi poena & victoria, nonne ibi adsunt hostes? Ergo hi ipsi tacite agnoscent illud in visceribus suis malum, quod latere neminem sui conscientium potest.

## §. XXVI.

Vt, quae fassus dicta sunt, breui summa concludam, haec erunt. Quum nec animus vitium sensum habeat Dei, recti, bonique (§. 16-20.) & pericula nos perpetua augendae miseriae circumstent (§. 21.) nec corpus hoc apertum sit excelsum animi domicilium (§. 22.) sed potius homo sibi soli relictus ruat ad miseriam (§. 23.) nec satisfacere possit vel fini d'amo, vel felicitati suae (§. 24.) ipsum quoque praesens conubium spiritualis & animalis in ipso naturae calamitatem iuuet (§. 25.): Qui non videt nos miseros esse (cunt. §. 8-11.) ille nihil videre posse iudicandus est.

*Obs. 1.* A quod haud exiguum momentum ad hanc disceptationem adferri inde posse videtur, quod magna pars antiquitatis constantem contulerit, grauari spiritum corporis mole, atque adesse nobis malum quoddam, quod ipsi e materia diversis modis deriuabant. Ita mihi perpetuo vilius & *Diarrhoea* statuendum esse parati: Quotiescunque habent aliquid antiqui, quod aut nimis absurde dicitur, aut ratio indicari nequit, quomodo cogitando ad haec

haec deuenierint, suspicandam traditionem rei cuiusdam per posteros corruptam; praesertim si primus fons illius sententiae adeo se condit antiquissimorum faeculorum tenebris, vt plane sciri nequeat, sicut hic accidere videmus. De re ipsa nolo ex doctiss. *Bruckero* & aliis loca adferre; quae antiquitatem huius opinionis euictura forent: Quum & satis res sit erudito cuius nota, nec inutilibus allegationibus paginas replere liceat.

*Obs. 2.* Quum sperem fore, vt in specimine de rebus nullius magni momenti aliquam mihi libertatem in notulis lectores concedant: Addam breuem aliquam status felicitis imaginem, qualem ego mente illam pingam, quod maiori forte distortorum meorum claritati proderit, & vt de discrimine status integri & corrupti iudicare possimus efficiet. Lulum ingenti dicant, quibus ita placet; at non plane tamen arbitrarium spondeo. 1) Vt apud nos infantes nascuntur statim apti, licet imperfectus, ad percipiendas rerum per sensus illabentes imagines: Ita ipsi conuictam secum adferebant facultatem intuitiue de recto bonoque iudicandi, deinde vtu perficiendam (§. 16—20. conf. §. 8.). 2) His recipiendis nerui erant aptiores, nec tam impetuosi eorum motus tactorum a sensuina voluptate & taedio (§. 15. 21. 22. not. conf. §. 10. 11.). Sedatior inde & purior voluptas sensualis, 3) Hanc ob causam sanguis, a quo fluidum illud feceruntur, purior concipiendus videtur, ergo perfectius quoque corpus. 4) Ob excellentiam illam in animo latentem (n. 1.) citius sequutura fuisset eolutio distinctionis, quae tandem latet apud nos in infantia. 5) Viua impressio Dei & virtutis multo insigniori ipsum perfusura erat voluptate (quippe quum est multo maioris boni intuitus) quam nunc omnis voluptas sensualis. E nunquam haec dominium ad se rapere poterat. Ipsa tamen ita subordinata priori auxisset felicitatem (§. 16. 18. conf. §. 9. 10.). Et tali modo mihi videntur futuri fuisse longe felicissimi. Pluribus, praeter §§. quos excitaui, ornare has coniecturas possem, si abuti lectoris patientia mihi permitterem.

*Obs. 3.* Facere non possum, quin addam confessionem quandam quam sensus & experientia huius mali extorfit *Tolando Christianity not mysterious Lond. 1701. Chap. IV. p. 57. We are too prone to frame wrong conceptions, and as erroneous iudgments of things. We generally couet what flatters our senses, without distinguishing noxious from innocent pleasures; and our barred is a partial. We gratify our Bodies — — We are apt to indulge our inclinations p. 60. without great constancy and exercise we cannot recouer our innate freedom.*

#### §. XXVII.

Antequam finem huic capiti imponam, tria disputanda erunt. 1) Quum hisce malis immersum fore genus spirituum hanc terram incolentium deus necessario praeniderit, decreuerit tamen, his non obstantibus, eorum creationem: Admodum probabili coniectura sperare possu-

possimus, datam atque decretam fuisse per ipsum quandam, quaecunque demum sit, recuperandae felicitatis viam. 2) Malum suum homo miser si intelligit: Id videt, quum Deus proportionalissime omnia diligit, tantum saltem amorem aut ea praemia se expectare non posse, qualia debentur felicitibus. 3) Adhuc nonnulla de poenitentia, in qua tanquam omnium peccatorum expiatione ad sacrificio lustrali tantum sibi placent, qui Naturalistarum partes agunt. Et quidem si vel maxime Deus ob solam poenitentiam reddere aut vellet, aut posset homines felicitati: Nego tamen, hanc talem suscipi ab homine posse, quae placeret numini sanctissimo. Verum quidem est, talia actioni sociata fuisse posse, quae postea efficiunt, ut poeniteat eum, qui ea fecit (§. 19.). Ad talem vero poenitentiam, quae expiare quasi fontem ipsum hominem debebat, id saltem, ne plura dicam, necessarium esse nemo negabit, a) ut tristitia & auersatio eum angat factorum suorum, non solum ob alias causas, sed ideo, quia fini diuino & virtuti non satisfecit. Vita itaque adesse debebat vtriusque cognitio (§. 16.). At haec non adest (§. 18.). Ergo rite poenitere eum nequit: b) ut per tempora, quae poenitentiam sequentur, Deo atque virtuti obtemperantem animum ostendat. At neque haec fieri possunt: Quum, si sibi relinquatur, manes qui fuit (§. 16 - 26.). E. vana est spes abolendorum per poenitentiam peccatorum. De eo, quatenus ne sufficeret quidem vera poenitentia, nihil dicam, quae alii ea de re dixerunt non reperiturus.

### C A P V T III.

D E

CRITERIIS RELIGIONIS, QVAE INSERVIRE POSSET  
RESTITVENDIS SPIRITIBVS, NON INVENIENDIS IN  
RELIGIONE NATVRALLI.

#### §. XXVIII.

**H**omo iam infelix est (Cap. II.) tantumque abest, ut emerge suis viribus ex infelicitate possit, ut potius sibi permissus euadat in dies miserior (§. 23.). Hoc tamen non impediuit, quo minus electo rerum condendarum systemati humanum quoque genus inesse iuberet numen sapientissimum, suis perfectionibus (§. 2.) & felicitati creatorum conuenien-

uenientissime (§. 4.). Qui vterque finis quam nobis saltem maxime diminui, illapso hoc infortunio, videatur; atque ea sit perpetua Dei agendi ratio, vt mala permitiendo maiora bona efficiat (§. 14.): Maxima probabilitate conuicere possumus, Deum (qui, calamitate hac generis nostri praecisa, nihilo minus illud produxit in rerum theatrum) auxiliis ab aeterno decretis malo nostro subuenturum esse benignissime, ita vt & gloriae ipsius, & nostrae restituendae felicitati consulatur (§. 3. 4.).

Timidiorum me esse videbit lector, quam eos, qui non probabiliter, sed certissime sibi colligere posse videntur, necessitate quadam morali adstringi Deum ad opitulandum humano generi. Necessitatem talem adesse nullus nego, quatenus factum dei nobis narrant Christianorum oracula. Id dubito, pensitatis argumentis, possitne e cognitis natura veritatibus ita certo erui haec ipsa necessitas, vt non habeat, qui acute videt, quod contra mouere possit. Sed haec aliena mitto. Distinguo tamen, diuerso respondendo, illas duas quaestiones, vtrum Deum obligari ad denuo liberandos homines, si suis ipse perfectionibus constare velit, homo iniunctis argumentis efficere possit, quod dubium videtur; & vtrum; si homo e miseria sua extrahendus erat, reuelatio sit necessaria, cui aliam responsonem exhiberem; si opus esset. Obiicienti vero; haec si non effecissem, nihil me effecturum esse omni sequenti argumentatione, illi haec dicta sunt: Si adeo magna adest probabilitas, qualem ego in §. exhibui; narratur dein criteria talis religionis, quae infelicibus inferuire deberet; atque haec inteniuntur in vna religionam nostrarum; tum, si quis porro dubitat, illum ipso Pyrrhone peiorem esse arbitror; praesertim si alia quoque inuincibilia indicia accedant, in hac breuitate non enarranda.

#### §. XXIX.

Religio, quam tanquam finem a Deo spiritibus propositum supra definiuimus (§. 6.) cogitari quoque vsui loquendi conuenientissime potest, tanquam complexus ipse earum doctrinarum & praeceptorum, quae huic fini adsequendo inferuiunt. Illa quatenus e rerum naturis per solas naturae vires cognosci ab homine possunt, religionem hominum naturalem efficiunt. Est tamen alia quoque definitio religionis naturalis pauillulum immutata, quam Naturalistae non modo concedere per principia sua debent, sed etiam ipsi afferunt, nosque ea vtemur sola tanquam praesenti vsui commodissima: *Religio naturalis est illa, quae ex sola natura Dei, hominum rerumque atque tam aeternis eorum perfectionibus quam relationibus deducitur.* At nullum finiti factum ex aeternis hisce rationibus euinci potest (per princ. metaph.). Ergo 1) factum quoddam non ingredi potest complexum eorum, quae in hac religione docen-

docentur. 2) E. neque noua relatio aut nouum officium, ex nouo facto in tali religione locum habet; nisi quatenus per generales illas huius religionis regulas aliquid in iis determinatur. Si illud perfectum est, quod fini suo in suo genere respondet; si illud est immutabile, cuius semel fixa induci ac aboleri nequeunt: Et perfecta erit religio naturalis, & immutabilis. Si vero, qui hanc perfectionem & immutabilitatem rotes nobis collaudant, id sibi volunt, nihil unquam, quidquid demum sit, quod intercedat, addi posse ad religionem naturalem; nullo statu interueniente insufficientem illam reddi posse ad hominum felicitatem: Iam aliis pugnandum erat argumentis; Quum ipsi concedamus, quae afferuntur pro prioribus. Vt in quouis, quod pertinet ad finita, sunt & necessariae determinationes & contingentes, quae diuersis modis esse, licet nunquam aduersari possunt necessariis (per Ontol.): quis similem rationem esse neget religionis? Quare 1) non pugnantia inuolueret; si ob sanctissimas rationes numini placeret, ex iis, quae non erant necessaria aut cognoscenda ex rerum naturis, necessarium quidpiam reddere & officium hominibus imponere, vt agendo ea obseruent. Ad vnum finem si plura media adsint, quid vnum figere vetat? modo hoc ne fiat per arbitriam electionem, quam nunquam defendo (§. 11.). 2) Si noua deum iungit hominemque relatio: accedere noua officia aut saltem motiua possunt. 3) Fieri potest, vt infelicitati spiritus immergatur, nec satisfacere queat iis, quae naturalis religio praecipit (§. 12-14.). Si deus auxilium miseris praebet, quod expectant (§. 14. 27. 28.) nec tamen pristina felicitatis via procedere possunt: addere quidpiam & subleuare illam ita potest, vt postulat conditio eorum, qui vindicandi sunt e calamitate. Salua manet in his omnibus illa perfectio ac immutabilitas, quam supra ipsi adseruimus religioni naturali. Religionem adaptatam statui spirituum infelicium (a qua & religio felicitis, & infelicitati relictis, & restituti distingui forte posset) religionem dicere lubet spiritibus restituendis destinatam. Cuius criteria in sequentibus sistuntur lectorum iudicio.

§. XXX.

Et I. quidem, quum homines nihil mala sua sentientes beati sibi in hoc statu suo videantur (§. 24. not.); ignorans vero malum omnem medicinam respuat; religio restituendis spiritibus destinata sufficienti infelicitatis suae cognitione homines imbuere debet. Et quum  
D 2  
illud

illud sit mortalium ingenium, ut vix fidem talibus habeant, nisi originem quoque intelligant, unde illa calamitas proflexerit; sitque praeterea ipsa illa origo res ardua, minusque congruere videatur iis, quae cognita de perfectionibus diuinis habemus; verisimile est, hac quoque in re subuentum nobis ex illa iri.

II. Tractandus omni ex parte foret homo ita vti illum nunc esse videmus. Et quum frustra foret auxilium; si exigeretur ab illo, ut faceret, quibus faciendis vires desunt; felicitatem vero iam suis viribus efficere nequeat (§. 16-27); aliena subsidia recuperandis iis, quae amisimus, adhibenda sunt. Et quum in restituendo spiritu, nobiliori creatorum parte (§. 6.) vix quemquam quidquam, praeter ipsum creatorem, cuius vis & virtus perpetuo rebus creatis omnibus adest, valere posse, probabile sit: ab hoc ipso omnia expectanda forent. Quodcumque omnibus finitorum viribus produci nequit, est supernaturale. Supernaturalia itaque auxilia a tali religione probabili coniectura expectantur.

## §. XXXI.

Deus vniuersae rerum seriei conditor, quum sapientiam bonitati iungendo, iustitiam manifestatam exhibeat, cuius ea benigne tribuere debet, quae ipsi conformia esse, sapientia docet. At ita ab eo sapientissime rerum institutum esse nexum videmus, ut bene factorum bona; mala vero male factorum sint consecraria, causaeque inde impulsivae ad omittenda haec; facienda illa orientantur. Quare homines quum male egerint, ideoque se malis fecerint obnoxios consecrariis, ne pulcherrimam suam rerum harmoniam turbet ipse auctor, eadem esse iubendo bonorum malorumque praemia: Deus hominem, nisi alia causa intercedat, malis eximere per sapientiam nequit. Daplici vero malo vnusquisque mortalium immerfus est, & eorum quae praeterierunt, & eorum quae instant. Ab his itaque ut felix fiat liberandus erit. Priora vero quum infecta fieri nequeant, & tamen, quatenus peccata sunt, abesse debeant, ut salua sapientia sua numen nobis benignum esse possit; nullo alio modo aboleri possunt, nisi ita ut pro non factis habeantur. Talis vero abolitio est moralis. Abolitione itaque moralis in iis opus erit. Sequitur ex his omnibus iam III. religionis illius criterium; Illa causum idoneam perfectionibus diuinis continere debet, cur abolitio malorum, quae est ex parte fatum moralis, fieri possit.

Non



Non possum, quin in notula addam, quam inepte mihi agere videantur, qui semper ad benignitatem dei plenis haecis provocando ita agunt, quasi sola in deo perfectio esset benignitas. Non iam dicam, anne mundus, haec si ita essent, futurus foret multo imperfectior, sed id tantum quaero, vtrum, qui propter male facta poenas non sequuntur esse dulcem persuasionem imbibunt. vtrum, inquam, velint, vt libertatem Deus tollat, aut vt perpetuis miraculis (digna scilicet res erat) male factorum rationata ebolcat? Alterum enim fieri debere non negabit, qui acutius videre consuevit.

§. XXXII.

IV. Quum variis viis huic expectationi & suae in nos clementiae satisfacere deus possit: Sapientia sua dignissimum esse videtur, indicare omnem illam agendi rationem, qua in nobis ad felicitatem restituendis vtitur.

V. Spirituum quorumuis quum finis proprius efficiatur per libertatem (§. 6.); nisi plane finem hunc interire deus velit, non sola metamorphosi physica restitui homines felicitati possunt, sed concurrere libera eorum electio debet (conf. §. 13.). Licet itaque supernaturalia auxilia accedant (§. 30.), id tamen potissimum ab his expectandum est, vt reddita homini, quae amissa erat, libertate, ipse dein felicitatem suam legendo sani agat diuino conformiter.

VI. Multis itaque modis nostrae ad deum relationi quidquam accederet (n. II. III. IV.). At ex noua relatione noua oriuntur agendi motiua, noua forte etiam officia (§. 29.). De his itaque nos in religione spiritibus restituendis destinata edoctum in expectandum est.

VII. In eo potissimum iam homo miser est, quod destitutus viuo illius, quod rectum bonumque est, sensu, agat ob ea, quae corpori aut statui externo conueniant (§. 20. 21.). Huic itaque malo vt impedimenta obuiantur: & motiua homini proponenda, quae tales instinctus vincant, & talia praecepta danda erunt homini libere ad recipiendam felicitatem progredienti, quae imperium viuac de deo bonoque cognitionis & sensuum obsequia inculcant.

VIII. Foret praeterea opus diuinae benignitati conuenientissimum religionem naturalem simul exhibere hominibus, partim vt ab illa liberaretur, quae error & ignorantia in eam induxit. partim seruariet a malis huius generis postea forte emergentibus, partim vero illius praecepta, & certiora essent, & nouis additis motiuis fortiora.



## §. XXXIII.

Naturalista est, qui spreis omnibus auxiliis supernaturalibus, solis naturae suae viribus per religionem naturalem procedere se arbitrat esse ad omnem felicitatem, quae ipsi fuit a Deo proposita. Quid? quod aduersari putat sapientiae diuinæ, vllum vnquam tempus exsurgere, vbi istae vires spiritibus deesse possent. Nullam itaque praesentem infelicitatem communem talem admittit, e qua nostris vi non daretur emergere. Errat dum contra apertissima disputat (Cap. II. conf. §. 8-11.) & dum putat, omnium agendi rationum, quibus vtitur sapiens numen, adeo se esse gnarum, vt dictatorie hac in re sententiam pronunciare sibi liceret, fieri non posse, vt ad infelicitatem felix genus spirituum transeat (§. 13. 14.). Animum, quem peccatorum poenitet, si expiare putat commissa, neque demonstrat, Deum sapientissimum condonare hanc ob causam omnia posse; neque, si demonstraret, vera poenitentia expectari ab homine sibi relicto poterat (§. 27.). Benignitatem Dei si sibi profuturam existimat: Obliviscitur, illam sapientiae lociatam gignere iustitiam (§. 31.). Ipsi vero religioni naturali quum desint, quae enarrata sunt superius: Nullo modo potest restituendis spiritibus ipsa sufficere (§. 30. 31. 32.). Deducit illa e natura hominis integri & relatione Dei ad hominem, qualis homo quiuus esse debeat a Deo creatus non ostendit hominem infelicem (quum hoc facto cuidam tribui debeat & facta religio haec ignoret (§. 5. 29.) neque originem mali indicat (§. 30. n. 1.). Neque hominem grassaturum ad beatitudinis fastigia tractat tanquam miserum, sed integrum viribus ipsi concessis (§. cit. n. II.). Ignorat aliam viam, qua Deo accepti esse possemus, nisi agendo ea, quae e naturis rerum cognoscenda norma nobis data fuerunt faciendorum (§. 31. n. III.). Non restitutionem libertatis sed vsum illius tanquam integrae postulat (§. 32. n. V.). Et alia officia, & alia motiua, & aliam viam salutis ignorat nisi illam, quae ex aeternis relationibus ad Deum atque alia extra nos posita proficiuntur (§. 32. IV. VI-VIII.). E. religio naturalis sufficiens quidem fini suo & praecepta figens numquam refrigeranda (§. 29.), homini iam ad felicitatem perfectam non satis proderit (§. 30. 31. 32.).

## §. XXXIV.

Antequam nunc transeam ad illam religionem, quae hisce criteriis exornata viam infelici mortalium generi pandit, qua emergere e

miseriis possunt: Diuidenda paucis erunt ea, quibus, qui solam naturam felicitati sufficere putant, adstruere conantur, ne fieri quidem posse, vt alia salutis adsequendae ratio vlllo tempore succedat. Et quia *Tindalium* praecipuum Naturalitae rerum suarum statorem agnoscunt: Huius sequar argumentationes. Notandum tamen, nihil illum vel verbo dixisse de infelicitate aut felicitate hac, de qua disputo, sed sumere hoc tanquam rem concessam & nulli sano dubiam, *constare pristinae hominibus integritatem*. Ego vero quum contrarium dederim demonstratum (§. 12-26.): Licebit hanc veritatem praecipui fundamenti loco in sequentibus substernere. Dicit vero *Tindalius* 1) *Christ. as old as the creat. Chap. VI. Absolute perfectam esse religionem naturalem, ergo neque addi quidquam, neque domi illi posse*. Ad haec ego: a) Perfectionem religionis naturalis suo sensu ipse concessi (§. 23.), b) non pugnat etiam in ipso statu hominis integro addi praeeptum quoddam, natura non cognoscendum; si sapientissima Dei consilia id postulant (§. 11. & not.). c) Nihil prodest nobis vlla huius religionis perfectio nisi cognita a nobis. Si vero vel maxime cognoscimus, nec tamen viuere cognitio: Ne tunc quidem felicitati nostrae inferuit. De vtroque vide (§. 23. 18. 20. 21.). d) Miseri iam sumus (Cap. II.). Pone Deum miseris succurrere (§. 28.): Noua Deum hominemque iungit relatio, vt officia ipsi nostra non solum tanquam creatori, sed etiam liberatori exhibenda sint: Noua quoque agendi motiua subnasci possunt, salua in omnibus religionis naturalis dignitate. e) Quum diuersorum spirituum diuersi sint gradus cognitionis; infima vero cognitio sit, quae id tantum dat, esse aliquid (cognitio *res est*) non indicatis rationibus, (*dicitur*) quare sit: Fieri forte potest, vt numen sapientissimis causis adductum intelligendum nobis quidquam eorum exhibear, quae supra sphaeram nostram constituta sunt, cuius itaque nos ostendere non possumus cum rationibus suis nexum. f) Salua itaque vbique manet immutabilis huius religionis natura (§. 29.). E. nihil nouum de ea discam e *Tindalio*. 2) Argumentatur *Tindalius* (Chap. VII. p. 61. seq. & Chap. IX. p. 91.): *Solus vnicus & perpetuus finis religionis est felicitas hominum, & media, quae hanc se nel promouent, facere illud perpetuo possunt*. Ad haec a) concedo, n e lia semper talia esse debere, vt agatur cum homine tanquam libere electuro suam salutem (§. 6. 32.). At mira tamen datur diuersitas mediorum. b) Homo iam satisfacere iis nequit, quae religio naturalis praecipit (§. 29. conf. 20.). Pone, deum decernere ipsius

resti

restitutionem: salutis media figenda erunt ipsius conditioni praesenti adaptata. *c)* Nihil inde derogatur religioni naturali, quod infelices spiritus per illam solam restitui nequeunt. 3) Addit (*Chap. X. pag. 116.*) *deus non agit sine causis mouentibus pro solo arbitrio. Ergo quum finis, qui est felicitas, cuius propositus sit: libertati nostrae felicitatis media permittit, quae ne figi quidem constanter queunt, dirigenda potius sunt per singulares cuiusuis nexus & circumstantias. De aliis vitiis huius conclusionis nihil dicens, haec tantum respondeo a) deum non agere sine causis, constantissime defendimus & defendit Anglia, nec video, contra quem nisi imperitam plebem toties Tindalii declamet, haec confutando. b) Media distribui possunt in generaliora & adhibenda singularibus nexibus Tindalii ratiocinatio locum tantummodo habet in secundis. c) Pone, omnia vstrata media spiritus infelicitis vires superare, nec praerberi sciri aut figi ab ipso posse nouum: Deus si intereedit, nihil obstat, quo minus nouum quoddam generale medium, aut plura figat, singulis deinde cuiusuis circumstantiis propriis determinanda.*

*Ne nimius sim loca ex libro Christianity as old as the creation non adfero, quia forent nimis longa & multa. Conf. tamen ad . Conybeare defence of reueald religion qui Chap. II. tractat, pag. 73. Whether the law or religion of nature be absolutely perfecti, Chap. III. p. 145. Whether the Law or Religion of nature be immutable. Chap. IV. Wherein the proper distinction between Natural and Reueald Religion doth consist.*

#### C A P U T IV.

### CRITERIA HAEC PROPRIA ESSE RELIGIONI CHRISTIANAE.

#### §. XXXV.

**A**ccedens itaque ad vltimam eamque grauissimam tractationem ita in illa versabor, vt adductis ad quoduis caput verbis & locis sacrarum litterarum sar multis efficiam, largissime quoduis supra adductorum criteriorum adesse in religione christiana, quam tanquam viam, restituendam salutem nobis exhibentem, laeti exosculamur. De pristina felicitate eiusque iactura docemur 1) hominem primum fuisse ad similitudinem Dei conditum *Genes. 1, 26. 27. excellen-*  
tia

tia tali nulli creaturarum rerum tributa. Attributa Dei quum partim physica sint, partim moralia, priorum vero nulla similitudo proprie dari finito possit: Moralium similitudo intelligenda est Quorum quum summa omnis eo redeat, vt bonum distincte cognitum eligatur: Pater, quo iure sapientia & sanctitas ad hanc similitudinem referantur, collatis locis Ephes. 4, 24. Coloss. 3, 10. Adde Kohel. 7, 29. 2) Placuisse Deo, vetare hominem ex arbore quadam comedere annexis mortis minis; si negligeret Genes. 2, 17. 3, 3. Fieri hoc potuisse vide (§. 14. & not.). 3) Serpentem (Apoc. 13, 7. 9. 13. &c.) persuasisse feminae, spe maioris felicitatis summa arte proposita, vt ederet, hanc edentem dedisse quoque Adamo Genes. 3, 1-6. 4) Magnam insequutam fuisse hominis mutationem poenasque praeterca cuius suas inflictas Genes. 3, 7. coll. cap. 2, 25. & 3, 8. coll. II, 16. &c. 5) Infelicem hanc mutationem transisse ab Adamo ad omnes eius posteros Rom. 5, 12-14.

Licet multa occurrant in hac §. de quibus copiose disputari possit: Attamen quum plane id non sit propositum descriptioni meae, patet tantum aliquid addam de (n. 4) propius cum omni dispositione conexo, ea quidem hac in re libertate usus, quae in eiusmodi causis nemini unquam; nedum in tali quadam scriptura, negata fuit. Quam superius iam subinducam nonnumquam de causa infelicitatis sententiam, illam licet ex diuinis oraculis confirmare. Quare

D) probabo re vera factam esse insignem corporis post lapsam mutationem, quod patet 1) ex Genes. 3, 7. coll. Cap. 2, 25. Nam licet ingenue fatear, nec in vlla mea, nec vllorum commentatorum explanatione de his versiculis me prorsus adquietere posse, & credere, late re ibi descriptionem illius mutationis quam nonnumquam plene intelligemus, quia similia percepinus numquam: id tamen inde concludere licet, corpus mutatum fuisse, tum, quia corporis imperfectiones sunt praecipue causa pudoris, tum quia hebraei se frontibus obtulerunt. 2) Ex Cap. 3, 16. Etenim partus ante lapsum (coll. Cap. 1, 28.) nullis iunctis doloribus aliam corporis constitutionem postulabat. 3) Forte etiam ex Cap. 3, 19. coll. Cap. 2, 5. 4) Ex mortalitate, quae corpora inuasit Cap. 3, 19. Si enim, vt nostri defendunt, immortalitas antea fuit naturalis: sine mutatione corporis principia mortifera accessisse nequeunt. 5) Ex necessitate vestimentorum Cap. 3, 21. & 6. coll. Cap. 2, 25. Addere lubet 6) antiquissimam esse opinionem eorum, qui corpus & omnem materiam principium mali esse stauerunt (§. 26. Obs. 1.). Quid? si itaque dicam, forte ex hac mutatione corporis maxime incurrente in sensum miserorum protoplastorum accepta & tradita maioribus, systema eos desumpsisse de materia mali principio. Argumenta plura, quae ex re ipsa desumuntur, vide supra §. 17. 22. 26. Obtestor tamen lectorem



em per omne, per quod obstarī possū, ne me accedere vel minima ex parte putet ad deliria *Bourignoniana*, *Poireriana*, *Entusyastica* & antiquorum & recentiorum multorum. Verum habebat homo felix corpus & tale quidem, quale nos nunc quoque habemus; si ad determinationes necessarias respicias; non vero omnes contingentes.

II) *Quæritur, quo modo hæc mutatio facta sit.* In eo omnes consentiunt ob esum infelicem illum hæc primos homines mala sequuta esse. Factumne vero hoc sit per physicam fructus operationem, aut voluntate dei ob esum talia in homine producente, aut per influxum malorum mutationum in anima, de eo dissentitur. Et in vltima quidem sententia id concedendum est, cum mutationibus animi adesse quasdam in corpore. Sed vnicam illam cogitationum malorum seriem vniuersum corpus atque animum interfecisse, miraculo simile dixeris, nec optime hoc modo *Socinianis* ac aliis responderi videtur. Si cui media via placeret, illi deus putandus esset inducere omne illud malum in animum iunctumque ipsi hominis corpus. Videant alii, vtrum hoc conueniat cum iis agendi rationibus, quas deum seruare nouimus. Aut me itaque omnia fallunt, aut commodissima explicandi ratio hæc erit; si, quæ naturali nexu ex est fructus proficiscebantur, ea permilla a deo fuisse, credamus sapientissime. Vltcrius hæc confirmantur, si cogitamus 1) per se hanc opinionem non pugnantia inuoluere. Pone fructum (venenatum non dico, vt difficultas de deo talia create & sistente ante conspectum hominis, opinionem hanc ne premar) fructum inquam aliis visibus sensitiorum forte animalium destinatum, per esum abeuntem primo in sanguinem, in nervos postea secretum & cerebrum ac cerebellum inficientem: nonne animus semper sociata horum opera agens simul particeps erit miseriarum? (Conf. §. 15. n. 2. 3. 4.) Nec parum eos edisse putetur necesse est, nec statim post esum (antequam profus hominem permeasset insolitum nutrimentum) miserias ipsi agnouerunt. Num enim alias Adam comedisset; si præsentem iam vidisset Euae calamitatem? Cap. 3, 6. 2) Ipse textus post esum, antequam vllam dei intercedentis mentionem iniecerit, mutationem illam, velut comestitionis confectarium enarrat Cap. 3, 7 & 9. 3) Semper ita loquitur deus, quasi ex hoc ipso fructu, physico nexu, calamitas perfecta esset C. 2, 17. C. 3, 11. 4) Arbor vitæ physice operabatur C. 3, 22. Quidni itaque arbor quoque cognitionis boni & mali? Hanc sententiam de physica operatione huius arboris præter alios adoptauit quoque *I. L. Mosheimus in instr. dogma p. 458. §. 479.* Commodis quoque meditationibus ansam præbebunt, a) consueta corruptæ nostræ naturæ nomina *σαρκ* Gal. 5, 17. & alibi, *νομος αμαρτίας εν ταις μελεσι*, Rom. 7, 23. *φρονημα της σαρκος*, Rom. 8, 7. *επιθυμια της σαρκος*, Ephes. 2, 3. & similia: Quam vix nomen illud sine ratione ad optatum esse queat. Adde esse nomen iam Moysi aëno vsurarum Gen. 6, 3, vbi deus ideo se mundum non vltra statim puniurum esse pronuntiat, quia homines sunt *caro*. b) Pii liberati ab hoc corpore felicitatem deum suam expectant Rom. 7, 24. C. 8, 25. Suspiria in hoc corpore fun-

fundant 2 Cor. 5, 1. seqq. c) Insignem mutationem corpora nostra subire debent, antequam ad felicem superiorum beatitatem aspirare possint. *Σαρξ κχι αιμα* regnum dei non accipit, neque *Φθαρα την αΦθαρα*. *σιν* 1 Cor. 15, 50. 53. 54. 42—49. Expectamus *οικοδομην εν θεου* 2 Cor. 5, 1. d) Primi homines longos vitae annos numerabant, cuius rei in causis hoc quoque potissimum fuisse putes, quod pristini in corpore vigoris plures reliquiae adfuerunt.

Quum itaque animi & corporis mutationes semper simul operari debeant; si alterum horum non est integrum, neque alterum officio suo rite fungi potest. Prima itaque mali origo repetenda est ex animo, qui id quod malum sibi erat, legebat; modum vero, malum in hominem inducendi, per corpus animo locutum contigisse, maxima probabilitate se commendat; sedes postea mali ipsa animus potissimum erit solus felicitatis aut infelicitatis capax. Exstincta est proprio sensu omnis vita spiritus (§. 21.) eodem die, quo mandata divina neglecta fuerant Genes. 2, 17. ita ut nullum tropum admittere necesse sit; si toties *νεγκες* nominantur homines in sanctis scripturis Exstincta enim est illa animi excellentia, per quam vitium se demonstrat spiritus (§. cit.). Nunc iam nos iis, quae corpori aut statui externo iucunda sunt, obtemperamus.

### §. XXXVI.

De vniuersalitate & natura huius miseriae docemur, 1) omnes homines esse sub peccato Rom. 3, 9; descivisse a via quae ipsis praescripta a Deo erat, Rom. 3, 12. Pl. 14, 3; deesse illis *την δοξαν* *της θεου* v. 23; neminem esse qui non peccet 1 Reg. 8, 46; formationem cogitationum nostrarum tantum esse malam Genes. 6, 5. 8, 23. 2) Omnem natum naturali via ex homine communibus hominum corruptis cupiditatibus obnoxium esse Ioh. 3, 6. Adde Pl. 51, 7; neque prodire posse purum ab impuro Ioh. 14, 4. 3) Hominem, nulla revelationis luce adiutum, quales ante conuersionem erant gentiles, ignorantia rerum ad veram salutem suam spectantium inuolutos esse Eph. 4, 8. Act. 26, 18. 4) Si vel maxime cognitionem harum rerum acceperimus aliunde: Non tamen erit vita in homine, quem supernaturalis gratia non affluit. (Demonstrationem accipe in *obs. 1.*) 5) Adesse in homine coactionem quandam, quae ut *σαρκι* (superponitio cupiditatum sensitiuarum Gal. 5, 19. sq.) obtemperet, cogit vel inuitum Rom. 7, 15—18; deesse libertatem Ioh. 8, 32. 34—36. Rom. 7, 14; abduci illos variis cupiditatibus Marc. 4, 19, quae vinci ab homine non possunt Matth. 19, 33—36. 6) Ob *φρονησει* *της σαρκος* esse nos inimicos Dei Rom. 8, 7. Primum itaque, quod

E 2

adfu-

ad futurum esse praesagiebamus in religione peccatoribus restituendis destinata, adesse videmus in libris Christiana sacra docentibus (§. 30. n. 1.).

*Obs. 1.* Demonstrationem *prop. 4.* ideo notis seruari, quia aliquanto plura ea de re mihi dicenda sunt. Ea erat, ineunte Christianorum republica, rerum apud illos ratio, ut plerique Christianorum fidem amplectentes, non nomine solum, sed vere essent Christo addicti. Unde non admodum multa loca adsunt in N. T. quae disertis verbis hanc propositionem certissimam enunciant. Adhibet *Mosheimius in Erb. Sacr. Script. P. I. C. I.* eam in rem 1 Ioh. 2. 20. Sequentia ea de re notanda mihi videntur 1) verbum *γνωσκεν* et similia perpetuo fere in oraculis nostris eo sensu adhibentur, ut cognitionem cum inclinatione animi coniunctam indicent. Me extra biblia ad antiquorum philosophias exspatier, indubitata loca occurrunt Gen. 18, 19, qui locus tamen, si quid iudico, aliter ac vulgo vertendus est, 1 Sam. 2, 12. Ier. 22, 16. Pl. 1, 6. Pl. 37, 18. Prou. 3, 6. At in N. T. 1 Ioh. 2, 3. 4. expressis verbis dicitur: Cognovimus illum, *εαν τας εντολας αυτης τηρωμεν* et c. 3, 6. qui peccat, *ου γνωσκεν αυτον*. His vocatis in subsidium 1 Ioh. 2, 20. & alia loca huius generis huic demonstrationi omnino inferunt. Quam enim *τῶ χριστου* tribuatur eorum cognitio, & tamen non solum experientia, sed etiam sacra scriptura testatur, cognitionem illam cui vita deest, debito virium nostrarum vti acquiri posse: sequitur inde, ut viribus homo suis cognitionem de divinis viam reddere ipse nequeat 2) Math. 23, 3. Luc. 6, 28. 29. c. 12, 47. Ioh. 13, 17. Rom. 1, 32. Math. 7, 21. non quamvis salutariter divinarum cognitionem esse viam: Iac. 2, 14. *πιστις* deesse dicitur: Non esse potest nisi mortua Dei ac divinarum cognitio (§. 16.). Haec vero quam sint exempla talium, qui gratiae supernaturali non dederunt locum in animis; (vid. Iac. 2, 19.) omnis vero nostra restitutio ac conversio alias Deo tribuatur et Spiritui sancto Eph. 2, 5. 6. 3. 10. 1 Cor. 2, 5. Phil. 2, 13. Hebr. 36, 26. 27. Ioh. 6, 44: In eo supernaturalis opera versatur, ut via fiat cognitio eorum, quae ad salutem nostram faciunt, & nostris nos viribus eam vitam efficere non valeamus. 3) Potissimum vero ea loca huc referenda, in quibus mortui imagine pinguntur homines, divina gratia non adiuti Eph. 2, 5. etc. Mors enim et vita potissimum ex eo signo distinguuntur, an agere quisquam possit, vel non valeat.

*Obs. 2.* Vix putasses, tam lynceum fore et perspicacem *Tindalium*, v: in ipsis oraculis nostris vniuersalitem corruptionis vidisset negatam. Adducit Math. 9, 12. 15, 24. 18, 11. Luc. 15, 7. & inde concludit Cap. V. p. 42. *Which is dividing Mankind into two parts, the whole or neighbours; and the sick or sinners.* Sed et parum ipsi curae fuit, aperte inter se committere scripturam, quae hanc veritatem  
alii



aliis locis certissime comprobatur, & conferre neglexit Matth. 23, 28. Luc. 16, 17. 18. 10. sq. Ioh. 5, 3, 9. & ad Matth. 15, 24. cogitare, Christi dixit, quamdiu vivebat, praecepit pertinuisse ad Iudaeos Rom. 15, 8.

§. XXXVII.

Nostri viribus quum legi divinae satisfacere non possumus Rom. 8, 3. (§. 36.); neque hoc a nobis sancta Christianorum oracula postulant. Testantur potius, manifestari iustitiam sine lege Rom. 3, 21; sine operibus legis iustos nos declarari Ephes. 2, 9. Rom. 3, 28. 20. Gal. 3, 11. nos non esse sub lege Rom. 6, 13; legem nobis veluti mortuam esse Rom. 7, 4; a lege nos redemptos esse Gal. 4, 5, 3, 13. Quod attinet ad necessariam mutationem nostram, ipsa voluntatis libera rursus determinatio a Deo speranda promittitur Phil. 2, 13. vel durissima mens emollienda per eum proponitur Hebr. 3, 26. 27. Ostenditur, doctos nos fore omnes a Deo, Hebr. 8, 11. (conf. *Obj. 1. §. 36.*); beatam illam mutationem, qua noua *κρίσις*, Gal. 6, 15. reddimur, opus esse Dei Ephes. 2, 10, qui nos aptos reddit *eis τὴν μερίδα τῆς κληρονομίας τῶν αἰώνων*, Col. 1, 12; spiritum & vnctiōnem nobis dedit 1 Ioh. 2, 20. 27. 4; 13. E. etiam secundum criterium adest (§. 30. n. II.).

§. XXXVIII.

Quum remouere nulla intercedente condonationis causa ob sapientiam Deus non posset, quae mala malorum confectaria debebantur nexu necessario hominibus peccatoribus (§. 31.): Videamus, vtrum & quid hac in re ostendant nobis sancta Christianorum volumina. Pandunt primo loco, ad mirandam hoc redemptionis opus intelligendum, distingui debere in Deo simplicissimo tria distincta, quae sub trium diuersarum personarum criteriis nobis exponunt. Ex iis secunda & ipsa verus Deus, Rom. 9, 5. Ioh. 1, 1. assumpta humana natura Ioh. 1, 14. Hebr. 2, 14. ad peccatores saluandos venit in mundum 1 Tim. 1, 15; nostris se auxiliis sponde obtulit Ioh. 10, 17. 18. Hebr. 10, 5-7; & nostras vices subiens 1 Tim. 2, 6, pro peccatis mundi expiatio 1 Ioh. 2, 2. 2 Cor. 5, 21; mundum Deo reconciliauit 2 Cor. 5, 18, 19; a lege nos liberauit Gal. 4, 5; mortem & molesta multa pro nobis subiit Hebr. 2, 9. atque aeternam inuenit redemptionem Hebr. 9, 12, factus obedientibus ipsi causa salutis Hebr. 5, 9. vna oblatione in perpetuum perfecte expians san-

Etificandos Hebr. 10, 14. Per huius redemptionem, qui fide eam amplectimur, iusti declaramur Rom. 3, 24. Per illum fiducia & accessio ad Deum restituta Eph. 3, 12. Ioh. 14, 6. Hebr. 10, 22. 9, 19, 4, 16. Et quae egit, & quae passus est nobis ipsis imputantur. Unde dicimur, ipsum induere Gal. 3, 27. ipsum habere 1 Ioh. 5, 12. in ipso esse Rom. 8, 1. cum ipso mori, sepeliri & resuscitari. Omnia sunt quasi noua, 2 Cor. 5, 17. vt antiqua nobis nocere iam nequeant. Huius ob redemptionem quum iusti queamus declarari Rom. 3, 24. 25; *Moralis fieri potest abolitio peccatorum* (§. 33.). Si non amplius adsunt peccata, causa malorum: Ipsa quoque mala, peccatorum effectus, quo minus Deus remoueat (modo tamen ac tempore sapientiae suae seruatis) nihil obflare potest. Noua itaque referatur felicitatis via & tertium adest criterium (§. 31.).

Nullum forte dogma est, quam hoc ipsum, in quo tantopere exultamus, in quod acerbis linguam et calamum strinxerint religionis nostrae aduersarii. Non huius loci est, vindicias oraculorum nostrorum hae de re exhibere. Sponsonem Christi pro nobis legitimam esse, immortalis *Brunngartenius* ostendit *theol. moral.* §. 58. Si aduersarii nostri adcurate philosophari volunt (ex scriptis eorum & dicto verissimo Baconis de Verulamio: *philosophia, delibata tantum, a deo abducit; penitus hausta ad eundem reducit*, contrarium paene concludas); si hunc mundum mundorum putant praesantissimum, quid magis praecclarum, excellent, gloriosum atque omni aeternitati mirandum illum ingredi poterat, quam ea quae de redemptore nostro narrant nobis sancta volumina, nos vero magna ex parte cognoscimus adhuc imperiectius.

### §. XXXIX.

Haec omnia licet testentur de ingenti in nos clementia diuina: deest tamen homini facultas rite his bonis vrendi (§. 36). Auctor itaque restitutae huius felicitatis nostrae non solum premisit, mittere & impertiri spiritum suum Ioh. 14, 16. 26. Cap. 15, 26. Cap. 16, 7; sed re vera etiam misit Gal. 3, 14. Ille & cognitione nos imbuat eorum, quae ad restituendam salutem necessaria sunt Ephes. 1, 17. 18. & noua vita seu facultate agendi, quae spiritu digna sunt, denuo quasi nos generando, donat Ioh. 3, 3. 5. Tit. 3, 5. 6. 1 Petr. 1, 1. 3. vt ob semen diuinum, cui nouam & diuinorem (2 Petr. 1, 4.) naturam debemus, fugiamus peccata 1 Ioh. 3, 9. Cap. 5, 4. ipso modo generationis huius omnem humanam intelligentiam superante Ioh. 3, 8. 12; & iudicium de absolutione nostra in iudicio diuino, seu

seu pacem cum Deo, animis indicat Rom. 14, 17. Cap. 5, 1. & haec sua dona conseruat atque auget, magis magisque sanctos nos sistendo atque quoad omnes partes nostras remouatos 1 Cor. 1, 8. Eph. 2, 22-24. 1 Theff. 5, 23, utras in his cunctis & verbo diuino Iac. 1, 18. 1 Petr. 1, 23. & externis quibusdam symbolis cum interna vi operandi coniunctis Gal. 3, 27. Rom. 7, 4. 1 Cor. 10, 16. (§. 32. n. IV.).

## §. XL.

Non tamen solo physico alterius influxu agi ea in re quum finis spiritus permittat (§. 6.): libere hominem haec sua dona amplecti, docent & perpetuae adhortationes, adhibitis causis impulsiuis. quod signum est, libere agi cum homine Act. 2, 38. c. 3, 19. Deut. 28. Leu. 26. Ies. 1, 16-20 &c. & loci illi, *ubi* seu *vira* seu mors eligenda proponitur Deut. 30, 15; *ubi* dari dicuntur bona salutis non promiscue omnibus, sed credentibus Marc. 16, 16. Act. 10, 43. cap. 16, 31, & obedientibus Ebr. 5, 9; *ubi* monentur, vt cor sibi nouum parent Ezech. 18, 31. (salutis tamen dictis Ezech. 36, 27. cap. 9, 19. 20.); *ubi* dicitur, resistere homines spiritus sancti operationibus posse Act. 7, 51. cap. 13, 46, concedere homines noluisse sub alas dei ipsos congregaturi Matth. 23, 37. obdurare illos posse corda sua Ebr. 3, 7: tristitia adfici spiritum per ipsos quoque fideles Ephes. 4, 30. Quintum criterium adest (§. 32. n. V.).

Haec nemini videbuntur contra ea, quae habentur in *Formul. concord. II. de libero arbitrio pag. 602. ed. Rechenb.* quum, & satis notorium, quibus et quo tempore haec opposita sint, & per ipsum hunc librum dicantur haec de homine non regenito, & sat saepe damnentur, qui cum homine tanquam trunco aut bruto agi putant. Confr. *Lilienthal bona causu reuelationis P. IV. §. 9-11.* Iurgendis huic So. paragraphus 39. & 37. ne male quispiam mentem meam interpretetur.

## §. XLI.

Iam non solum vt creatorem ac conseruatorem numen colere iubemur, sed etiam vt illum, qui redemptionem nobis e miseris parauit. Noua inde agendorum motiua desumere possumus, & quidem, si viua sunt, eo fortiora, quo maior est illa clementia, quam nobis factam esse sentimus; quae clementia omnem cogitationem superat Ephes. 3, 19. dum filio deus non peperit Rom. 8, 32. sed dedit

dit pro nobis inimicis Rom. 5, 10. 6. At nostrum quoque est, ut dignam agamus vitam hisce ingentibus beneficiis Eph. 4, 1. Phil. 1, 27. Christus exemplum exhibens, intruendus est Phil. 2, 1. I. Petr. 1, 18. 19. qui exemplum erat & beneficentiae 2. Cor. 8, 9. & mansueti ingenii aduersus inimicos Eph. 4, 32. Col. 3, 3. Ebr. 12, 3. I. Petr. 3, 18. & amoris Eph. 5, 23. I. Ioh. 3, 16. At non amor solum inauditus, non exemplum solum Christi perfectissimi doctoris mouere nos possunt, ut dignam hisce instituumus vitam nostram, sed alia quoque ingentia beneficia, quibus exornati sumus: ius filiorum 2. Cor. 6, 16. 18. conf. cap. 7, 1. I. Ioh. 3, 1. Gal. 3, 26. spes certissima, omnia concurrere ad bonum nostrum Rom. 8, 28. aeterna communio cum Deo & Christo I. Cor. 3, 16. Ioh. 14, 23. spes futurorum Rom. 8, 24. 2. Corinth. 4, 17. I. Tim. 4, 8. ob quam res huius mundi parui pendere aduocamus Ebr. 10, 34. I. Ioh. 2, 15-17. Et quis tandem finis, si omnia illa moriua, quibus quoduis officium fuleitur; omnia noua bona enarrare, & colligere vellem ad quoduis sanctorum oraculorum dicta, quae id euincerent? (§. 32. n. VI.).

## §. XLII.

Quia in eo miseriae nostrae pars longe potissima versatur, ut sensitiuis cupiditatibus obtemperando, nos iis addicamus in seruitutem tristissimam: quae nobis sanctissima Christi doctrina praefcribit, eo plerumque abeunt, ut obex huic malo ponatur. Saepissime iubetur, qui Christi est, carnem cruci affigere Gal. 5, 24. se ipsum abnegare Matth. 16, 24. vitam, parentes, uxores, liberos & alia iu-cunda; si Christi causa illud postulet, parui pendere, Matth. 10, 37. Cap. 16, 25. Luc. 14, 26. 27. 33. manum, pedem, oculos & alia membra, siue, quae ab illis saluti nostrae obstacula obiciuntur euellere & praescindere Matth. 18, 8. 9. cap. 5, 29. 30. res in mundo obuias non amare I. Ioh. 2, 15-17. carnis curam ad gignendas cupiditates non agere Rom. 13, 14. Monentur angustam & compressam esse viam vitae Matth. 7, 14. per afflictiones saepius illam ingrediendam Act. 14, 22. in quibus gloriantur Rom. 5, 3. tanquam καὶ ὑπερβολῶν. eis ὑπερβολῶν, compensandis 2. Cor. 4, 17. Rom. 8, 18. Et ut haec omnia eo melius procedant, commendatur perpetua vigilantia I. Petr. 5, 8. I. Cor. 10, 12. Matth. 26, 41. Cautus quoque vsus iniungitur rerum alias non plane illicitarum, ne vsu suo abeant

abean ad abulum 1 Cor. 7, 1. 8. 26. Luc. 18, 22.; iuri quoque suo non morose ubique insistere in officiis numeratur 1 Cor. 6, 7. Matth. 5, 39. 40. 41. &c. (conf. §. 32. n. VII.).

## §. XLIII.

Ipsa quoque praecepta religionis naturalis denuo ibi haberi, si multis demonstrare vellem, inutilia agerem, dum in omnibus fere pagellis huius rei exempla in bibliis occurrunt. Observatur Matth. 5, 48. c. 7, 12. Phil. 4, 8. occurrere omnium eorum principia, quae de vita instituenda natura praecipit, quibus addas Matth. 22, 37-40. ubi insuper additur, quod ad rem praesentem egregie facit, in hisce versari, quae lex & prophetae praecipiunt, Rom. 13, 8. Quantum vero in hisce ipsis proponendis sancta Christi doctrina excellat, & ulterius, ob praesentem conditionem nostrum, euehendo, & dilatando officia, & exhibendo eorum motiua, quae ex sola natura peti nequeunt, de eo vide §. 42. 41. (§. 32. n. VIII.).

## §. XLIV.

Quaecunque itaque ab religione hominibus restituendis inferuiente expectare poteramus (§. 30. 31. 32.) adsunt largissime in Christianorum religione sanctissima (§. 35-43.). Satisfactum itaque iis esse ex consilio meo videtur, quae frontispicium promiserat dissertationis. Vellem ea dignitate rem hanc grauissimam tractassem, ut, quae mihi exaranti & accurate haec omnia perpendenti voluptas & gaudium subnata sunt, ex omni sapientia & benignitate Dei, eadem sentiatur a quouis, qui opellam hanc legere non dedignatur. Nihil restat, nisi ut preces fundam ardentissimas ad illud numen, quod nunc quoque ob restitutam nobis salutis viam colimus, ut, quam elementem adhuc gessit rerum mearum curam, concedat in posterum atque beneuole dona mihi sua conferret & augeat.





ORNATISSIMO ET DOCTISSIMO

HVIUS DISSERTATIONIS AVCTORI

S. P. D.

I O. S A L O M O S E M L E R.

*N*on potuit mihi non longe gratissimum accidere, non illud, quod  
 me dissertationis TVAE, haud scio comitem, an praesidem, elegeris,  
 (quippe qui haud dubie dexterrime ea facile defendas, quae egregie scripsisti),  
 ego enim lubenter ea in re meliori istum locum concedebam: sed quod  
 hoc praecipue argumentum desumebas, quo et eminentis TVI ingenii facultas  
 & feliciter hic apud nos colloata a TE industria, luculenter possit  
 commendari. Reddo certe omnem scriptionem integerrimam, nec ullam  
 partem a me interpolatam: ut apud omnes illa tractandi ratio, qua ipse  
 omnino usus es, plane constare possit. Omittere autem illud non licet, va-  
 rius,

ritis, quae inopinatum premebant, rationibus, forma *τῆ* celeritate in-  
 scribenda tam graui dissertatione, necessario versatum esse; quas res, sicut  
 laudem *τῆ* non mixuit, ita forte facere possit, ut quibusdam videatur,  
 clarius exponere *τῆ* potuisse mentem, & plus lucis forte hic illi  
 addere argumentationi. Nempe plus et otii et temporis omnino imperdere  
 huic rei non poterat. Optaram aliter, ut ex Origenis, qui fuit a. errimus  
 olim disputator & boni consilii isto iam tempore feliciter tenax, aduersus  
 Celsam libris, atque ex utilissimis *περὶ δευτέρων* commentariis, ornamenta  
 non solum, sed & benignioris causa lucis, utilia quaedam simul adiunge-  
 res; quod istis eximii et prudentissimi viri scriptioibus multum, pluri-  
 mum dicere ausim, quod ad hoc argumentum pertinet, continetur. Insuper  
 etiam in Recognitionibus, ut Clementis nōmine et isto titulo abuti commen-  
 tarii illi solent, non pauca: quae ad defensionem christianae religionis hoc  
 fere eodem nomine facere possunt. Neque enim hodie demum istos en-  
 hostes experitur; nec istis, doctioribus, acroamaticis, caruit defensoribus,  
 quibus carere non potest: nisi imperiā plebem, quam olim lauculenter  
 christiani tractatores segregant, seligere sibi quis auditores velit, quod  
 tamen & ipsam nō velle quidem, aut optare magnopere licet. Igitur his  
 etiam libenter abstinui, cum vix *τῆ* ipsius consilio satis obsequi posse  
 intelligerem; est & erit, praecipue etiam in publica huius scriptiois de-  
 fensione, de quo tibi eximie gratuler, qui raram acute intelligendi fa-  
 cultatem, multamque ingenii vim, acerrimis, quos elegisti, aduersariis  
 haud dubie approbaueris. Quos plerosque etiam praeceptores et doctores  
 habuisti, in breui isto academico studio: quod commodum duobus annis



constat, quod tamen ita ex cunctis, ut non exiguo alios intervallo vincas, qui altero tanto uti possunt. Diligentissime interfuisi lectionibus Vener. D. MICHAELIS chaldaicis et hebraicis; Vener. KNAPPII dogmaticis et histor. ecclesiasticae; Excellentissimorum autem Virorum, MEIERI metaphysicis, et ethicis; WEBERI logicis, metaph. et iuris naturae, item mathematicis & physicis Experient. EBERHARDI: praeterea disputandi facultatem excelsi auctoribus S. R. FREILINGHVSIO, Clarissimisque Magistris, NOESSELT & FOERSTER, istius praeterea lectiones in N. Testam. & historicocriticas isagogicas sectabaris. Meas autem praetorii, quarum indicem sat longum tibi exhibebas, dogmat. polem. carum; moralium; hermeneutic. exeget. in ad Hebraeos, & histor. eccles. TV vero, macte ista virtute! nec unquam obliuiscere benignissimi munus, quod sine vario consilio eam TVARVM rerum seriem existere profecto non voluit; cui ut satis obsequaris, de porro omnem operam, Deo, et ea ratione certo etiam Patronis, Frautoribusque TVIS feliciter commendatur. Vale. d. in Fridericiana d. VIII. Martii 1759.

HEIN-



HEINZELMANNO SVO


IOANN. AVGVST. NOESSELT, A. M.

S.

*H*as ad TE litteras dandas esse, HEINZELMANNE, putavi,  
 non quo laudes TVAS prosequerer, quas ipsi loquitur dissertatio TVA  
 vitaeque inter nos acta, nec ut confirmarem TIBI amicitiam meam,  
 quam aliis TIBI iam rebus spero fore cognitam; sed ut haberes ta-  
 men aliquod leue monumentum, quod intuens olim recordari posses ho-  
 minis TVI studiosissimi, cui excellens ingenium moresque suavissimos  
 TVOS unice probasti. Nam ex quo ad disciplinam nostram accessisti,  
 tot TE virtutibus inter paucos splendens tamque non publici saporis  
 homi-



hominem animaduerti, ut non vana animi diuinatione iudicauerim, TE parum laudis aequalibus TVIS relicturum esse. Neque id assentandi causa dixerim, quod TV scis longe remotum esse a verecundia mea, qui sc̄lis verbis nullo modo delector; sed ut ostendam, maximi me facere virtutes in TE diuinitus collatas, vehementerque cupere, ut quantum TVI expectationum excitasti, hunc & sustineas per omnem vitam & superare etiam studeas; tamen si id rogare TE minus debeam, quam planissime sperare ab animo TVO omni virtute ornatissimo. Quae omnia cum cogito, tum in omni amicitia TVA nihil, mihi crede, acerbius accidit hoc, quod mihi metip̄si non potuerim in officio erga TE meo satisfacere. Nam cum vel omnia contenderim, quae cadere videntur in hanc tenuitatem meam; tamen vel sic me monet iucundissima consuetudo TVA, quae semper TE mihi literis ac virtute prouectiorem ostendit, nihil mihi relinqui praeter vota suscipienda ad eum, cui TV haec omnia debes, ut fructus TE diu capere jubeat soniles virtutum carum, quibus omnium in TE oculos conuertisti. TV vero ita TIBI velim persuadeas, me summo studio esse laboraturum, ut me TIBI amicissimum nec villo in TE amando inferiorem intelligas. Vale. d. Halae. pridie nonar. Mart. MDCCLVIII.



Fe 4194 ✓

ULB Halle


3


002.623.889



Sh...







COMMENTATIO,  
DE  
INFELICITATE HOMINVM  
PRAESENTI,

TESTE CONTRA NATVRALISMVM,  
PRO ILLA RECUPERANDAE SALVTIS VIA,  
QVAM CHRISTI DOCTRINA OSTENDIT,



QVAM  
PRAESIDE  
VIRO SVMME REVERENDO, EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO,  
IOANNE SALOMONE SEMLERO,

S. S. THEOL. DOCTORE ET PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,  
SEMINARII REGII THEOL. DIRECTORE,

PATRONO AC PRAECEPTORE  
PIA MENTE SEMPER COLENDO,  
PVBLICO EXAMINI

DIE MARTII MDCCLIX SISTET

AVCTOR  
RVDOLPH. FRID. OTTO HEINZELMANNVS,

HERLINGA-MAGDEBVRGICVS,  
S. S. T. H. C.

XII.

HALAE AD SALAM

STANNO HENDELIANO

6)

